DOCTRINA RUSSORUM

DE STATU

JUSTITIAE ORIGINALIS

Dissertationem, cui titulus: »Doctrina Russorum de statu Justitiae Originalis«, cum nihil contineat, quod doctrinae catholicae sit contrarium, dignam censeo, quae typis mandetur.

Kielciis, die 18 Septembris 1902 anno.

B. Czerkiewicz, S. Theol. Magister
Censor librorum argumenti religiosi.

Nr. 1794.

APPROBATUR.

Kielciis, die 19 Septembris 1902 anni.

(L. S.) *† Thomas Theophilus Ep. Kielcen.*

Cancellarius B. Czerkiewicz.

Dr. GEORGIUS B. MATULEWICZ

DOCTRINA RUSSORUM

DE STATU

JUSTITIAE ORIGINALIS

CRACOVIAE
TYPIS W. L. ANCZYC & SOCIORUM
1903

Dissertatio quae ad S. Theologiae Doctoris gradum obtinendum in Universitate Friburgensi Helvetiorum conscripta est.

SUMPTIBUS AUCTORIS.

CARISSIMO FRATRI PATRUELI CONSOBRINOQUE

PARITER ET

TUTORI MEO BENEVOLO AC VELUTI

ALTERI PATRI

DOMINO JOANNI MATULEWICZ

CURARUM

QUAS IN ME IMPENDEBAT PRIMOS FRUCTUS

GRATO ANIMO

DO DEDICOQUE

PROOEMIUM.

1. Plerique credunt, si primatum Romani Pontificis et processionem Spiritus Sancti excipias, vix ac ne vix quidem dogmata esse ulla, quae Orthodoxos a Catholicis separent. Quae cum A. Belaiev, celeber russorum theologus ac professor Moscoviensis, secum reputat: — «o miram, inquit, simplicitatem hominum atque credulitatem!» [1]) Quem clamorem neque minus sincerum esse quam iustum documento sunt illae latinae, quas dicit, aberrationes et haereses et errores, quae per plures easque continuas recenset paginas.

Profecto vix ullum reperies doctrinae catholicae caput, quod a theologis russis qui nostra florent aetate non impugnetur.

Ut praeteream quae neque ab omnibus neque tanta cum vehementia exprobrentur, pariter atqe ea quae mores potius, disciplinam et cultum quam do-

[1]) А. Бѣляевъ. О Соединеніи Церквей. Сергіевъ Посадъ. 1897 p. 129 sq., 209. Generatim russi saepe conqueruntur, quod catholici et protestantes eorum theologiam ignorant ac spernunt.

gmata respiciant, doctrinae capita, in quibus Latini a veritate et antiquitate aberrasse putantur, sunt haec:

1) fontes doctrinae christianae; de quibus catholicis obicitur: *a)* eos libros deuterocanonicos Veteris Testamenti retulisse in canonem atque inspiratos declarasse, *b)* eos existimare traditionem sacram uberiorem atque superiorem revelationis fontem esse scriptura sacra, *c)* eos dogmatum evolutionem seu progressum in fide excogitasse; 2) Ss. Trinitas; in quo capite crimini datur latinis: *a)* quod Spiritum Sanctum ex Filio quoque procedere doceant, *b)* quod immutatile symbolum Constantinopolitanum violaverint inserendo Filoque; 3) iustitia originalis et originale peccatum; ubi obicitur: *a)* male concepta hominis innocentis perfectio et *b)* illud Cathechismi Romani: «hominem beneficio divino habuisse iustitiam originalem et non vi naturae», tum *c)* male intellecta essentia peccati originalis pariter atque *d)* sequelae (concupiscentiam scilicet non esse peccatum sed naturae defectum), tandem *e)* dogma Immaculatae conceptionis B. Mariae V.; 4) iustificatio nostra et salus; hic impugnantur: *a)* meritum de condigno et de congruo, *b)* distinctio inter praecepta et consilia evangelica, *c)* opera supererogationis et thesaurus meritorum; 5) Ecclesiae constitutio; hic impugnatur doctrina catholica: *a)* de Capite Ecclesiae et constitutione, *b)* de infallibilitate Ecclesiae et Romani pontificis; 6) Sacramenta; de sacramentis in genere negatur contra catholicos: *a)* ea operari ex opere operato; de sacramentis vero in specie nullum relinquitur, quin catholica doctrina alia atque alia ratione impetatur; in quibus vero dogma tangitur sunt: Eucharistia;

hic russi impugnant, *b)* transsubstantiationem fieri sola vi verborum Christi; — Confirmatio; *c)* russi negant eam imprimere characterum indelebilem; — Poenitentia; hic *d)* poenitentiis quae a sacerdote imponuntur vim satisfaciendi denegant simulatque *e)* indulgentias impetunt; – matrimonium *f)* cujus absoluta indissolubilitas reicitur; — 7) altera vita, praecipue vero purgatorium; hic inter cetera negatur a russis poenis, quas animae in purgatorio luunt, vim aliquam purgandi seu satisfaciendi iustitiae divinae inesse [1]).

Quae objectiones non modo privata cura ac studio a theologis proponuntur agitatunturque; sed etiam Ss. Synodus Petropolitana, quae magistra fidei et custos constituta est in Rossia, sua auctoritate eas sanxit atque iussit seorsim singularibus scholis in seminariis orthodoxis exponi atque probari. Quo factum est, ut illae incriminationes adversus catholicos veluti de communi et publica russorum fide essent.

Cum vero russi et numero et potentia et disciplinis theologicis ceteris orthodoxis longe superiores sint, facile fit, ut quae ab illis doceantur a ceteris quoque suscipiantur; atque eo magis quod ceteri orthodoxi et studendi causa russos adeunt et russorum libros in suum vertunt sermonem. Atque hac ratione et via incriminationes russorum et odium in catholicos

[1]) Non attulimus nisi ea quae russi obiciunt. Si positiva eorum doctrina respiciatur, etiam plura inveniuntur in quibus discrepamus, veluti in doctrina de religione, de revelatione, de existentia Dei, de origine animae, de gratia, de vita aeterna etc.

per ceteras quoque ecclesias orthodoxas propagatur.

Quibus permoti proponendum statuimus de eis agere, quae russi in illis doctrinae capitibus vel catholicis crimini verterent vel ipsi docerent.

2. Initium facimus a justitia originali rati fore, ut hoc dogma expositum ob insignem quem inter veritates christianas tenet locum et non parum conferat ad totum theologiae russorum systema perspiciendum, et principium ponat ac rationem ad plures alias easque gravissimas russorum obiectiones intelligendas explicandasque.

Ratio et modus, quem in tractanda re secuti sumus, hic est, ut nulla praetermissa quantum fieri potuit opinione primum quam diligentissime exponatur ipsa adversariorum doctrina, tum ut argumentorum quae afferunt indoles et ratio ostendatur, demum ut monstretur, in quonam illi a catholicis differant et quae sit causa et radix eorum erroris. Quibus expositis iam abstinendum esse duximus a refutanda russorum doctrina, utpote quod ex quavis theologia facile colligi posset.

3. Cum vero ventum est ad conquirendos libros, quibus uteremur, non levem experti sumus difficultatem. Philaretes enim Černigoviensis qui de russis, qui theologiam litteris illustrarunt, scripsit, narrationem suam abrumpit anno 1863 [1]). Qui vero res gestas russorum Ecclesiae narrant, quamquam etiam theologica scripta tangunt neque funditus tamen neque plene. Reliquum igitur erat, ut ad folia periodica et

---

[1]) Филаретъ Гумилевскій, архіеп. Черниговъ. Обзоръ Русской Духовной Литературы, г. 1862—1863. Изд. 3. СПБ. 1884.

bibliopolarum catalogos recurreremus [1]). Quae media quam parum fida sint, non est cur dicam. Quibus tamen non obstantibus nihil praeteriisse videmur, quo nostra expositio nimis manca esset.

Adhibemus potissimum theologos qui post medium XIX saec. inclaruerunt; cum auctoritas eorum qui antea scripserunt penitus a russis, qui nunc sunt, spernatur: et quidem theologorum saec. XVII, quod methodo scholasticorum et spiritu scripserint et plus iusto latinis erroribus indulserint, — theologorum vero saec. XVIII et ineuntis XIX, quod partim protestantium partim catholicorum erroribus infecti sint. Vera ortodoxa theologia coli apud russos non esse coepta dicitur nisi saec. XIX potissimum inde ab anno 1840 reformatis studiis ecclesiasticis.

Ex theologiis dogmaticis specialibus, quibus usi sumus, praecipuae sunt: 1) Antonii Amphiteatrov (+ 1879) 1 volumen, pag. 279; 2) Macarii Bulgakov (scripsit 1847—1852) 2 vol., pag. 583+499; 3) Philaretis Gumilevski (scripsit 1864) 2 vol., pag. 227 + 326; 4) Silvestri Malevanski (scrip. 1884—1885) vol. 5, pag. 317+643+523+583+499; 5) P. J. Svietlov; lucem non aspexerunt nisi duo priora volumina: de Deo Uno et Trino atque de Deo Creatore tum Ponerologia et Soteriologia; vol. 1, pag 402 et vol. 2, pag. 542 [2]).

---

[1]) Potissimum usi sumus: И. Л. Тузовъ. Каталогъ Духовныхъ и другихъ книгъ. СПБ. 1899—1902; Указатель Русскихъ книгъ и брошюръ по Богословію etc... Москва, 1891.

[2]) Антоній, архим. Догматическое Богословіе. Изд. 8 СПБ. 1862; — Макарій митроп. Московскій. Православно-Догматическое Богословіе. 2 т. Изд. 5 СПБ. 1895; — Филаретъ, архіеп. Черниговъ. Прав. Догм. Богословіе. 2 ч., Изд. 3, СПБ. 1882; — Сильвестръ, еписк. Опытъ Православнаго Догматическаго Богословія (съ истори-

Hi sunt theologi, quorum unusquisque plus vel minus proprio marte theologiam construere conatus est; ita tamen ut Antonius veluti principia poneret, Macarius ulterius ea excoleret, vacillaret tamen et plura reticeret, Philaretes etiam ulterius procederet, Silvester tandem et potissimum Svietlov veluti ad ultimas pervenirent consequentias. Recentiores Macarium maximi habent pariter et Silvestrum, quem praecipue sequuntur. — Praeterea laudandus est etiam Brečkevič Constantinus ob perspicuam et coordinatam expositionem, qua opus suum contexuit; quamquam fere omnia usque ad verbum praecipue ex illis quinque theologis compilavit; prodiit volumen primum de Deo Uno et Trino et de Deo Creatore, pag. 256 [1]). Pariter et Tichvinski Nicolaus conscripsit duo priora volumina p. 190+272; sequitur potissimum Silvestrum [2]). Praeterea usi sumus et aliis pluribus qui non sunt tanti: ut Favorov, Rudakow, Titov etc.

Theologiae vero fundamentales seu Apologeticae, quas potissimum adhibuimus, sunt: 1) Macarii Bulgakov vol. 1, pag. 486; 2) Augustini archim. et rectoris Lith. semin. vol. 1, pag. 320; 3) Roždestvenski 2 vol.,

---

ческимъ изложеніемъ догматовъ) т. 1 и 2, Изд. 3, Кіевъ 1892; т. 3. Изд. 2, Кіевъ 1889; т. 4 и 5, Изд. 2, Кіевъ 1897; — П. Я. Свѣтловъ, свящ. Опытъ апологетическаго изложенія Прав. Христ. Вѣроученія, т. 1, изд. 2, Кіевъ 1899: т. 2, Кіевъ 1898. — In seminariis russi antea usi sunt Antonii Theologia dogmatica, nunc utuntur Compendio Theol. Dogm. Macarii: Макарій, митроп. Московъ. Руководство къ изученію Догматическаго Богословія. Москва, 1898, pag. 368.

1) К. Бречкевичъ, свящ. Записки по Прав. Догм. Богословію. Елисаветградъ 1895.

2) Н. Тихвинскій, протоіер. Чтенія по Прав. Христ. Богостовію. Ярославль, 1894—1895.

p. XI + 427 + 427 + XXIII; 4) Piatnicki vol. 1, p. 376 et aliae [1]).

Denique praecipuae, quibus usi sumus, Theologiae polemicae, quae ex professo scilicet de objectionibus contra catholicos et protestantes agunt, sunt: 1) Nicanor archiep. Cherson. p. 93; 2) Uspienski p. 262; 3) Perov p. 175; 4) Epiphanovič p. 176; 5) Truskovski p. 204 [2]) etc.; praeterea ex graecis scriptoribus prae manibus habuimus Nicolai Damalae Περι 'Αρχων Λειψια 1865, pag. 204.

Praeterea alia quoque opera consuluimus, quae longum esset recensere.

4. Cum vero theologi russi Scripturam sacram et Traditionem ut fontes, libros vero symbolicos ut duces suos venerentur, de his quoque pauca subjungamus necesse est.

De Scriptura sacra id singulare russi habent, quod libros deuterocanonicos Veteris Testamenti utiles quidem ad legendum sed neque canonicos esse docent neque inspiratos; idcirco non utuntur iis nisi tamquam documentis mere historicis. Libris autem non

---

[1]) Макарій, митроп. Москов. Введеніе въ Прав. Богословіе. Изд. 6. СПБ. 1897: — Августинъ, архим., ректоръ Литов. семинаріи. Руководство къ Основному Богословію. Изд. 3. Москва 1894; — Н. П. Рождественскій. Христіанская Апологетика. Курсъ Основн. Богословія. 2 т. Изд. 2. СПБ. 1893; — Ив. Пятницкій. Введеніе въ Прав. Богословіе. Ставрополь 1893.

[2]) Никаноръ, архіеп. Херсонск. и Одеск. Бесѣда о томъ, есть-ли что еретическое въ латинской церкви. СПБ. 1889; — Ев. Успенскій .Обличительное Богословіе. Изд. 2. СПБ. 1894; — Ив. Перловъ. Руководство къ Облич. Богосл. Изд. 4, Рязань 1897; — Л. Епифановичъ. Записки по Обличит. Богосл. Изд. 4, Новочеркасскъ 1897: — И. Трусковскій. Руководство къ Облич. Богосл. Изд. 2, Могилевъ на Днѣпрѣ 1889.

canonicis adnumerantur: Tobias, Judith, Sapientia Salomonis, Sapientia filii Sirach, omnes libri (1, 2 et 3) Macchabaeorum, 2 et 3 Esdrae (nostri 3 et 4 apocryphi); praeterea partes Esther, quae in 70 numero versuum non sunt notatae, hymnus trium puerorum, historia Beli et Draconis, oratio Manassae, psalmus 151 Davidis contra Goliath. — Baruch vero et Epistola Jeremiae ab aliis theologis libris canonicis accensentur, ab aliis vero ad non canonica scripta relegantur.

Inter Traditionem vero et Scripturam sacram haec esse relatio dicitur: Utraque continet verbum Dei, utraque est fons fidei, utraque paris utilitatis et necessitatis. Sed Scriptura Sacra est fons primarius et fundamentalis, traditio solummodo secundarius fons, qui tantum abest ut independens sit a Scriptura sacra, ut ei subiciatur eamque tantummodo iuvet. Scriptura sacra criterium verae traditionis declaratur, traditionis vero officium ad explicandam interpretandamque Scripturam reducitur. — Quae cum ita sint, parum attendemus, quomodo russi Ss. Patres vel adhibeant vel interpretentur.

Denique libros symbolicos russi in duas dividunt classes, quarum altera eos complectitur libros quos Ecclesia orthodoxa a Vetere Ecclesia universali acceperit, altera vero eos, quos ipsa sibi confecerit, quorum alteri absolutae esse dicuntur auctoritatis alteri relativae solummodo, tantum scilicet valere quantum cum libris primae classis conveniant. — Primae classi adnumerantur symbola et canones tum 7 Conciliorum Universalium et 9 particularium, tum ss. Apostolorum (85), tum ss. Patrum: — verbo omnia quae apud graecos Pidalio,

apud russos Libro Canonum continentur [1]). Alteri classi accensentur: Confessio Orthodoxa Mogilae et Confessio Dosithei [2]), praeterea Philaretis Cathechismus Orthodoxus, qui solius russorum ecclesiae proprius esse dicitur [3]).

Hisce expositis initium ipsius rei tractandae faciendum esse arbitramur.

---

[1]) Πηδαλιον της νοητης νηος της μιας αγιας καθολικής και αποστολικης Των Ορθοδοξων Εκκλησιας ητοι Απαντες οι ιεροι και θειοι Κανονες. Εν Αθηναις. 1886, pag. 648. Quo opere non solum Canones referuntur, sedetiam concordia et interpretatio canonum (συμφωνία, ἑρμηνεία) pariter et adnotationes (σημειώσεις) quibus interdum toti tractatus theologiae continentur; quapropter Pidalion etiam aliquando adhiberi potuit ad perspiciendum, quae graecorum theologorum esset sententia? — Apud russos vero vocatur: Книга Правилъ св. Апостоловъ, св. Соборовъ Веленскихъ и Помѣстныхъ и св. Отцевъ. Москва 1893.

[2]) Confessionis Orth. Mogilae textu russico usi sumus: Православное исповѣданіе Каѳ. и Апост. Церкви Восточной. Изд. 16. СПБ. 1858; — textu vero graeco: I. E. Μεσολωρας. Συμκολικη της Ορθοδοξου Ανατολικης Εκκλησιας. T. I. Εν Αθηναις, 1883, p. 363—487; Confessionem autem Dosithei adhibuimus russice: Царская и Патріаршія Грамоты о учрежденіи св. Синода съ изложеніемъ Правосл. Исповѣданія Вост.-Каѳ. Церкви. Москва, 1848; graece: Harduini Acta Conciliorum t. XI p. 233—248.

[3]) Пространный Христіанскій Катихизисъ Православныя Каѳолическія Восточныя церкви. Изд. 69. Москва 1899. — С. Никитскій. Вѣра Православной Вост. Греко-Россійской Церкви по ея символическимъ Книгамъ. Изд. 2, Москва, 1889—1890; quo libro continetur symbolica russorum doctrina ordine et ratione disposita. — Praeterea notamus nihil nos citasse ad confirmanda ea quae sive de russorum theologia generatim, sive de eorum doctrina de scriptura sacra, de Traditione, de libris symbolicis diximus; quia non tetigimus hic nisi summatim ea, quae fusius scripta habemus.

DE STATU IUSTITIAE ORIGINALIS.
DIVISIO TRACTATUS.

Tertia obiectionum classis quas russi adversus catholicos ponunt, ut vidimus, circa iustitiam originalem et originale peccatum versatur. Primario quidem et principaliter polemistae russi oppugnant catholicam doctrinam de peccato originali. Sed cum error in hoc capite supponat iam errorem et in dogmate de iustititia originali, in hunc quoque campum litem transferunt. Quamvis polemistae utrumque dogma catholicum simul impetant, nos tamen pisitivam potius russorum theologiam respicientes alterutrum separamus atque non agimus nisi de iustitia originali totam rem quinque capitibus complexuri.

Capite 1° prolegomenis praemittimus quaedam, quae et ipsum theologiae russorum systema, quantum nostra res postulat, aliquatenus illustrent et eorum terminologiam explicent; capite 2° exponimus, quid russi de origine latini istius quem dicunt erroris et evolutione narrent. Deinde gressum facimus ad tractandam ipsam primi hominis perfectionem; ad quam constituendam efficiendamque cum opinione russorum

duo concurrerit: Deus Creator suis donis ac beneficiis et Deus provisor suis auxiliis, capite 3° de relatione Dei Creatoris ad primum hominem et capite 4° de relatione Dei providentis agimus. Tandem capite 5° appendicum instar diversas quaestiones tangimus, quae doctrinam russorum etiam magis vel compleant vel claram reddant.

CAPUT I.

PROLEGOMENA.

1. Cum rem tractaremus, duplex nobis se obtulit difficultas. Ex una parte cum dogma de iustitia originali cum caeteris dogmatis valde connexum esset, non potuimus assequi, quid russi de eodem sentirent, nisi aliquomodo toto eorum theologiae systemate atque omnium dogmatum complexu bene perspecto. Ex altera vero parte cum russi et allis saepe, atque nos, eisque vagis et obscuris terminis uterentur, et eos, qui communes essent, alio saepe sensu atque ambitu sumerent, opus erat, ut aliquando singula eorum verba longo subicerentur examini.

Quae ad rem intelligendam necessaria esse nobis videntur, quantum assequi licuit, paucis praemittimus [1].

---

[1] Sequimur potissimum Macarium, praeterea Antonium, Philareten, Silvestrum, Brečkevič ceteris quoque, ubi res postulat, adhibitis.

2. I. Russi tres hominis (pariter et mundi) status distinguunt: innocentiae, qui inde a creatione usque ad lapsum hominis duravit, — gratiae, qui incepit a lapsu et solum consummatione saeculi terminabitur[1])—

[1]) Status vero eorum qui ante consummationem saeculi e vita decedunt sic a russis depingitur: simulatque homo mortuus est, subit iudicium quod particulare vocatur. Illud non immediate a Deo, sed mediantibus malignis spiritibus ut Eius irae et bonis ut Eius gratiae ministris exercetur. Ratio iudicii ac modus in eo consistit, quod anima varia transit telonia (τελωνία -- мытарства), ubi a malis spiritibus ob male gesta torquetur, sed pariter et a bonis spiritibus defenditur ob sua bona opera. Daemones arguunt hominem eique exprobrant peccata quae commisit; angeli vero peccatis opponunt bona quae homo gessit. Anima postquam haec telonia transiit, si iusta est, defertur in Abrahae sinum, si peccatrix, mittitur in infernum.— Quae cum russi docent, potissimum s. Cyrilli Alexandri «Λόγῳ περὶ ἐξόδου ψυχῆς» et suis libris liturgicis nituntur. Praecavent tamen, ne haec telonia nimis litteraliter sumantur.

Porro peccatorum duplex est classis: altera eorum qui sine poenitentia in peccatis suis decedunt, altera vero eorum quos poenituit quidem peccatorum suorum, sed quibus poenitentiae fructus ferrendi tempus defuit. Utrique affliguntur patiunturque; sed cum illis nulla spes salutis relinquitur, hi possunt a poenis relevari, immovero penitus liberari; quod fit bonis operibus precibusque vivorum, praesertim missae sacrificio. — Utrum hae animae de sua salute et liberatione securae sint, necne? utrum futurum sit, ut omnes liberentur, an aliquae solummodo, russi non decidunt. Simpliciter affirmatur eis relinqui spem salutis, eas liberari posse.— Ceterum sicut iusti, utpote qui adhuc Ecclesiae militantis pugnis fatisque tristitia affici possint etc., non plena neque perfecta beatitudine fruuntur, ita neque peccatores integram damnationis mensuram accipiunt. — In iudicio particulari animae sors non in aeternum, sed ad tempus solummodo determinatur — usque ad consummationem saeculi. Tunc demum, ut docet Confes. Orth. θέλουσι πάρειν αἱ ψυχαὶ μαζὶ μὲ τὰ σώματα

gloriae, qui consummationem saeculi subsequetur eritque in aeternum [1]). Primus hominis status erat status originalis et, ut verbis quorundam utar, nor-

---

τελείως τὸν στέφανον τῆς δόξης, ἢ τὴν κόλασιν (Confes. Orth. Mogilae, q. 68; Μεσολωρᾶς. Συμβολική, t. I, p. 411). — С. Никитскій. Вѣра etc. t. I, p. 80, 89—90; — Антоній. Догм. Богосл. § 339 - 346, § 353; — Макарій. Догм. Богосл. t. II, § 248—252, 257—259; — Сильвестръ, еп. Опытъ Прав. Догм. Богосл. t. V, § 163—169, 194.

Itaque russi, ut vidimus, quendam animarum statum, qui nostro purgatorio similis est, admittunt; praecipuum discrimen, ex quo cetera pendent, in eo est, quod russi suppliciis, quae in illo statu animae patiuntur, nullum expiandi valorem tribuunt, quod negant illas animas reatus poenas exsolvere et iustitiae divinae posse satisfacere *patiendo*. Solum medium, quo illae sublevari vel liberari a poenis possunt, sunt Ecclesiae suffragia. Eadem est doctrina et Conf. Orth.: «Οὐδεμία Γραφὴ διαλαμβάνει περὶ αὐτοῦ (τοῦ πυρὸς τοῦ καθαρτηρίου), νὰ εὐρίσκεται δηλαδὴ καμμία πρόσκαιρος κόλασις, *καθαρτικὴ τῶν ψυχῶν*, ὕστερα ἀπὸ τὸν θάνατον... ἡ ἐκκλησία μὲ δικαιοσύνην προσφέρει δι' αὐτὰς τὴν ἀναίμακτον θυσίαν, καὶ προσευχὰς πρὸς Θεὸν πέμπει ὑπὲρ ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν· μὰ *ὄχι ἐκεῖνοι* νὰ πάσχουσι κἂν μίαν κόλασιν, *καὶ μετ' αὐτὴν νὰ καθαρίζωνται*». Γ. Ε. Μεσολωρᾶς. Συμβολική I., p. 409—410.

Ex quo efficitur, ut catholici polemistae, qui fore putant, ut orthodoxos cum catholico purgatorii dogmate concilient eo, quod alicuius status intermedii existentiam demonstrent et de igne doctrinam extenuent debilitentque, oleum et operam perdunt: puta P. Frç. Tournebize, S. J. L'Eglise grecque-orthodoxe et l'Union. Paris 1900, partie 2, p. 25—27; — V. Ermoni. L'Eglise romaine en face de l'Eglise grecque schismatique. Paris 1896, p. 23—24. Orthodoxi non tam statum intermedium negant, quam statum, in quo post mortem iustitiae divinae satisfieri potest; non tam ignem qui punit plectitque, quam ignem *qui purgat*; non supplicia reiciunt, sed purgationem. Verbo orthodoxi praeprimis satispassionis, quam dicimus, negant possibilitatem; haec igitur imprimis probanda est contra orthodoxos. Vid. Макарій, митрп. Прав. Догм. Богосл. II., § 259, p. 608.

[1]) Антоній. Догм. Богосл. § 117, p. 107; — Макарій, митроп. Догм. Бог. I, § 84; II, § 267 et alii.

malis [1]), alter est reparatio seu restitutio primi, veluti lentus ac lenis sed continuus ad primum reditus, tertius denique erit restitutus ille status paradisiacus [2]).

[1]) С. Никитскій. Вѣра. II p. 31—32; — Свѣтловъ, П Я. Опытъ апологъ. изложенія Пр. Христ. Вѣроученія. Изд. 2. Кіевъ 1899. I. § 32, p. 378; et alii.

[2]) Russi sat multi sunt in illo futuro statu paradisiaco describendo. Paucis eorum doctrinam complectimur duce Antonio archim., quippe qui in hac re maxime clarus sit: 1) «Simulatque mortui ad sonum tubae resurexerunt et vivi transmutati erunt, praeteribit figura huius mundi finisque saeculi erit». 2) Universum non destruetur penitus neque delebitur, sed solummodo status eius immutabitur et conditio renovabiturque eius species». 3) Haec renovatio fiet per ignem. 4) Scopus eius erit, «ut fatales illi effectus, quos homo peccato in rerum universitatem intulit, penitus deleantur, ut auferatur maledictum a terra, ut creatura a vanitate et corruptionis servitute liberetur». «Quo fiet, ut honestum, beatum aeternumque habitaculum membris regni Christi praeparetur». Антоній, op. c. § 368—371. — «Ille mundus plane adaptatus erit renovatis per resurectionem incolis». Сильвестръ, еп. Опытъ Догм. Богосл. V, § 204, p. 404 sq... 5) Postea ultimum iudicium sequetur, quo regnum gratiae terminabitur atque apparebit regnum gloriae. 6) Mali separabuntur a bonis. Illi damnabuntur ad supplicia aeterna. Антоній, op. c. § 378. 7) «Hi in illud praeclarum renovatum naturae regnum introducentur, quod s. Scriptura appellat novum coelum et novam terram (Apc. 21, 1), terram viventium (Ps. 26, 13), paradisum» (2 Cor. 12, 4). Profecto hoc iustorum habitaculum non erit simile nostrae terrae, ut ea nunc est; quia ibi nullum erit ex eis malis, quae nunc terram exilii locum et poenae nobis faciunt; sed contra ibi erunt omnia bona, similiter ut plenus eis erat antiquus paradisus, habitaculum primi hominis. 9) Consuetudo novae tam praeclarae naturae (terrae scilicet cum ceteris creaturis), dominium eius et possessio, similiter ut primus in paradiso homo eam habuerat, sine dubio non exigua erit iustis delectatio. Антоній. op. c. §387; Сильвестръ, еп. op. c. V, § 211—212, p. 429—437. Idem et Philaretes sed clarius: «Relatio ad materialem mundum, inquit, unus erit de

3. II. Quod relationem Dei ad hominem attinet [1], in primo statu erat illa naturalis, ordinaria, cum ea

---

fontibus quietis iustorum et pacis. Novum coelum et nova terra erit eis id quod innocenti homini fuerat paradisus... Justi idem creaturarum dominium habebunt, quod et innocenti homini fuerat: quippe cum restitutio hominis (ἀποκατάστασις) gratia Christi sit restitutio innocentis hominis cum suis iuribus ac praerogativis». Филаретъ, архiеп. Прав. Догм. Богосл. Изд. 3 СПБ. 1882. II, § 343, p. 325; vid. Антоній. op. c. § 125, p. 112. Praeterea Antonius enumerat et alios beatitudinis fontes: consortium inter se et cum angelis, consortium cum Deo eiusque visionem, quae praecipuus beatitudinis fons erit. Антоній op. c. § 387—388. Corpore erunt iusti immortali, incorruptibili, spirituali etc. Quod animam spectat, «iusti assequentur perfectam imaginis Dei et similitudinis restaurationem». Антоній. op. c. § 386.

Ergo si futurum illum paradisum spectes, is vix ac ne vix quidem videtur differre a primo: si hominem in utroque consideres, in hoc erat ille solummodo initio suae viae, in illo erit iam in termino, talis qualis primus ille homo futurus fuissset sua evolutione accompleta; sed uterque in eodem rerum ordine moveri videntur. Антоній op. c. § 125, p. 112; § 158; Макарій op. c. II, § 124. Tum ea quae sive supra de sorte defunctorum, sive hic de futuro paradiso diximus, tum ea quae in prolegomenis dicentur suadent, ut supponamus relationem inter illos tres status sic a russis theologis concipi: Originalis hominis status est normalis, relatio Dei ad hominem in eo est ordinaria, naturalis; alter status est peccato turbatus et corruptus, relatio Dei est extraordinaria, supernaturalis, quae in eo consistit, quod providus ac benignus Deus sensim sensimque reducit genus humanum ad pristinam conditionem, quam ab aeterno decreverat, restaurat scilicet statum primum. Qui tandem restituetur ac penitus reconstruetur a Deo Consumatore; atque sic consurget status tertius novus paradisiacus. Vid. Макарій op. c. I, § 5, p. 27; § 51, p. 350; II, § 122, p. 7; § 247, p. 520—521; Сильвестръ. op. c. V, § 207, p. 416; Антоній op. c. §. 125, p, 158.

[1]) Utimur hac expressione ex persona russorum; in se enim illa neque philosophice recta est. «Religio enim proprie

communis, quae Deo fuit et est ad caeteras quoque creaturas, in altero vero statu illa est supernaturalis, extraordinaria, immediate et specialiter respicit hominem lapsum eumque solum.

«Dogmata christiana, inquit Macarius, utpote quae de Deo deque Eius ad mundum et praesertim ad hominem relatione doctrinam exponant, duplicis sunt generis. Altera enim continent doctrinam de Deo deque Eius ad hominem relatione naturali, ordinaria, *cum ea communi, quae Deo fuit et est ad ceteras quoque omnes mundi creaturas*. Altera vero exponunt veritates de Deo, ut hominis Redemptore, deque Eius ad genus humanum relatione supernaturali, extraordinaria, speciali, quae magnum nostrae salutis opus vocatur (οἰκονομία τῆς σωτηρίας [1]).

III. Illa naturalis Dei ad hominem relatio duobus constabat: creatione et providentia. «Duabus Dei actionibus, inquit Macarius, creatione et providentia et continebatur communis illa relatio, *quae Deo aeque est et ad universum et specialiter ad hominem*; *qua relatione et constabat* in genere humano *religio originalis* (scilicet foedus originale [2])».

---

importat ordinem ad Deum» (s. Thomas. 2, 2 q. 81, a. 1), non vero Dei ad hominem, neque mutua aliqua relatio tum Dei ad hominem, tum hominis ad Deum, ut russi passim loquuntur, de quibus infra quoque.

[1]) Макарій. Прав. Богосл. I, § 5, p. 27; Id. II, § 122; Id. Введеніе въ Прав. Богословіе. Изд. 6. СПБ. 1897, § 11—15; § 46—49; — Бречкевичъ. Записки по Прав. Догм. Богосл. Елисаветградъ. 1895, I, p. 16—17, 117, qui fere ad verbum eadem repetit.

[2]) Макарій. Прав. Богосл. I, § 51, p. 350.

4. IV. Deus Creator producit res atque eo ipso ponit eis finem et dat vires facultatesque ad eundem assequendum [1].

V. Finis creaturae primarius est gloria Dei, secundarius propria beatitudo. Sed quod rationalem attinet creaturam, in tantum ea implet primum finem et attingit secundum, in quantum assimilatur Deo, Ei unitur, se perficit. Quapropter hic ad Deum progressus, haec continua evolutio et sui perfectio est quasi via qua ad illos duos fines pervenitur. Quam ob rem immediatus rationalis creaturae finis saepe simpliciter dicitur assimilatio Deo, unio cum Eo, participatio divinarum perfectionum, evolutio, progressus in bono, sui perfectio. Cum vero haec omnia ducant hominem ad beatitudinem et in hac vita et in altera, ultimus eius finis dicitur esse beatitudo simpliciter vel beatitudo aeterna [2]. Asserunt russi, utcumque eam intelligunt, etiam visionem beatificam [3].

Quidquid igitur est, et nos et russi convenimus in designando ultimo creaturae rationalis fine, si ille in se spectetur.

---

[1]) Макарій. Прав. Догм. Богосл. I, § 54, 59, 60; § 77; § 83—84; — Сильвестръ, op. c. III, § 3; § 18—19; § 56—57; — Филаретъ Черн. Прав. Догм. Богосл. I, § 75; § 87—89; § 90; § 122—127, 132; et alii.

[2]) Макарій, Прав. Богосл. I, § 59, p. 370—374; — Филаретъ Черн. Прав. Богосл. I, § 87—90; — Сильвестръ. op. c. III, § 18, p. 126—138; — Тихвинскій Я. Чтенія по Прав. Христ. Богосл. Ярославль. 1892, II, чтн. 4, p. 42—53; чтн. 8, p. 101—106; — Свѣтловъ. Опытъ апологъ. изложенія Прав. Христ. Вѣроученія. Изд. 2, Кіевъ. 1889, I, § 15 et alii.

[3]) Макарій. Введеніе въ Прав. Богословіе. § 49, p. 89; Id. Прав. Богосл. II, § 272--275; — Антоній. Догм. Богосл. § 125, 158. 388; et alii.

Sed nullibi russi, quantum compertum habemus, inter finem naturalem et supernaturalem distinguunt; finem ad quem creaturae tum irrationales, tum rationales ultimo destinantur, simpliciter vocant finem, quin eius relationem ad rerum naturam determinent. Ex altera vero parte cum de illo fine, ad quem creaturae rationales et irrationales ultimo destinantur, agunt, beatitudinem quoque aeternam creaturae rationalis et visionem beatificam includunt atque commiscent. Quapropter iure merito quaeri potest, utrum russi beatitudinem aeternam, ad quam creatura rationalis ultimo destinata est, ut aliquid, quod extra et praeter ejus naturae ambitum sit, considerent, an vero ut aliquid, quod creaturae rationali vi creationis aliquo modo sit debitum, connaturale?

Russi hujus ultimae sententiae esse videntur.

Repetunt quidem ultimum creaturae finem ex sancta, benevola Dei voluntate, sed non alio sensu quam ipsum creandi actum, quocum illum conjungunt et simul ponunt [1]. Finis, ad quem creatura etiam rationalis ultimo destinatur, simpliciter dicitur finis creandi, creationis, ad quem creatur, ad quem illa ipsa existentia et natura sua destinatur [2]. Quod specialiter hominem ante lapsum attinet: «Christiana religio, inquit Macarius, est non solum foedus inter Deum et hominem, quale erat foedus originale, ad quod Deus hominem una cum caeteris omnibus substantiis spiritualibus vocaverat e o i p s o, q u o d c r e a v i t; sed

[1]) Макарій. Прав. Догм. Богословіе. II, § 59, p. 370 et sq.; — Антоній, op. c. § 69, p. 81; — Бречкевичъ, op. c. p. 154, et cet.

[2]) Макарій. Богосл. II, § 59, p. 370—371; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 154, 205; et alii cum de fine sive universi generatim, sive angelorum et praecipue hominis agunt.

est foedus restitutum post lapsum hominis, foedus, ad quod immediate solus homo lapsus est vocatus et quidem vi redemptionis per Christum Dominum»[1]. Et alibi eo ipso dicitur vocasse Deus primum hominem ad illud foedus, quod ei cum existentia imaginem suam impressisset, seu naturam rationalem et liberam indidisset, qua homo naturaliter fertur ad suum antytypon et Exemplar, ad unionem cum Deo, ad beatitudinem aeternam[2]. «Homo, inquit Silvester, ad imaginem Dei creatus erat; propterea ipsa natura sua erat destinatus ad vitam divinam consortiumque cum Deo»[3]. Pariter et iuxta Titov Creator eo ipso, quod hominem super omnes creaturas terrestres exaltavit, quod eum ratione et libertate donavit, quod sua imagine ornavit, specialem etiam et altam ei destinationem praemonstravit; idcirco homo, ut est imago Dei, non contentus terrenis exposcit altiora; ejus cor infinitam desiderat beatitudinem, ejus natura potest et debet de perfectione ascendere ad perfectionem, de sanctitate ad sanctitatem; omnibus facultatibus suis homo fertur ad ultimum finem[4].

Ex quibus conficitur, ut russi ultimum finem, ad quem creatura rationalis bonitate Dei de facto vocata est, non ponant supra naturalem eiusdem

---

[1]) Макарій Богосл. I, § 5, p. 27.

[2]) Макарій. Введеніе въ Прав. Богосл. § 12—13; Id. Богосл. § 82—83; — Бречкевичъ, op. c. p. 104; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 8, p. 101—105.

[3]) Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 416; conf. Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 128.

[4]) Титовъ. Георг. Уроки по Катихизису Прав. Каѳ. Церкви. Изд. 2, СПБ. 1889. I, урокъ 18, p. 183—185; conf. Тихвинскій, op. c. II, чтн. 8, p. 101—106.

creaturae exigentiam et tendentiam; ergo beatitudo aeterna cum visione Dei faciali consideratur tamquam finis creaturae rationali congenitus, connaturalis. Atque in hoc russi differunt a catholicis qui visionem Dei beatificam praeter et supra naturam vel exigentiam omnis creaturae ponunt.

VI. Quod vero aptitudinem creaturae rationalis et specialiter primi hominis ad suum finem assequendum spectat, passim dicitur omnem creaturam et specialiter hominem «prodiisse e manibus Dei natura sua perfectum, hoc est ad suum finem assequendum omnino aptum», «viribus facultatibusque ad id necessariis praeditum», natura sua suae a l t a e d e s t i n a t i o n i plane correspondentem, proportionatum, sufficientem» [1]. Esse natura sua perfectum et esse ad suum finem assequendum plane aptum sunt russis synonyma.

Hinc post paragraphum de creaturae destinatione ac fine semper ponitur in eorum theologiis paragraphus de creaturae perfectione seu aptitudine ad eundem finem.

Quid ergo sentiendum est de hac aptitudine? potestne illa accipi sensu nostrae potentiae obedientialis? Minime. Verba enim, quae attulimus, dicunt plus quam meram non repugnantiam ad finem supernaturalem.

5. VII. Creatura sicut non ipsa sibi neque existentiam dedit, neque finem praestituit, ita neque

---

[1]) Макарій. Богосл. I, § 84, p. 463; — Бречкевичъ, op c. p. 156, 195; — Сильвестръ, op. c. III, § 19, p. 133; § 56, p. 402; — Антоній. Богосл. § 81, p. 86; — Филаретъ Черн. op. c. § 90, p. 139—140; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 123; — Свѣтловъ, op. c. I, § 16, p. 187; § 32, p. 377; — Титовъ, op. c. I, урк. 18, p. 184; etc.

suapte vi vel subsistit, vel suum finem attingit, sed providentia Dei agente, quae cum omnis creaturae tum specialiter rationalis curam gerit [1]).

Hinc paragraphos de fine creaturae rationalis et de perfectione seu aptitudine ejusdem ad finem sequitur paragraphus de providentia **D e i** circa eandem.

«Providentia Dei, ut verbis Catechismi utar, est incessabilis Ejus potentiae, sapientae et bonitatis actio, qua Deus esse et vires creaturarum conservat, ad bonos fines eas dirigit, omni bono concurrit et omne malum, quod ex recessu a bono ortum est, praecidit, seu corrigit et in bonum convertit» [2]).

VIII. Providentia duabus constat actionibus: conservatione et gubernatione [3]), quarum altera res s,

---

[1]) Антоній. op. c. § 83, p. 87—88; Макарій. Богословіе. I I, § 99; et ceteri.

[2]) Катихизисъ, ч. I, чл. 1. p. 25: «Промыслъ Божій есть ть непрестанное дѣйствіе всемогущества, премудрости, и благости Божіей й, которымъ Богъ сохраняетъ бытіе и силы тварей, направляетъ ихъ къ благимъ цѣлямъ, всякому добру вспомоществуетъ, а возникающее ее черезъ удаленіе отъ добра зло пресѣкаетъ, или исправляетъ и обра а-щаетъ къ добрымъ послѣдствіямъ».

[3]) Haec divisio communis est. Vid. Антоній. op. c. § 85, p. 88; — Сильвестръ, op. c. I, § 23. p. 169; Id. III, § 49, p. 340; Іоаннъ, еп. Смоленск. Богословскія Чтенія. СПБ. 1897, p. 62; — Тихвинскій, op. c. II. чтн. 9. p. 107; — Рудаковъ. Правосл. Догмат. Богословіе. Изд. 2. СПБ. 1894. § 48–50. p. 86—89; — Ѳаворовъ. Чтенія о Догмат. Истинахъ. Изд. 2. Кіевъ и СПБ. 1890, чтн. VI, n. 5-6, p. 86—89; — Свѣтловъ, op. c. I, § 32. p. 375; — Филаретъ Черн. op. c. I, § 94, p. 143–144. Qui auctor (Philaretes Čern.) c o n c u r s u m Dei, ut rem male a scholasticis inventam ad explicandum, quomodo vis divina ad actiones malas se haberet, expresse reprobat atque eum iam Dei conservatione comprehendi docet (lib. c. p. 143, adnot. 11).

postquam procreatae sunt, in suo essse et agere sustentantur, altera vero ad praestitutum sibi finem diriguntur.

IX. «Conservatio creaturarum, inquit Macarius, est ea Omnipotentis actio, qua Ille ut totum universum ita et singulas res, quae in eo sunt, cum earum viribus, legibus, actionibus in esse conservat» [1]).

Itaque cum catholici theologi distinguunt inter conservationem et concursum atque docent illam solummodo rerum esse respicere, hanc vero ad solam earum operationem pertinere; russi alterutram Dei actionem confundunt atque solo conservationis nomine complectuntur, ut cetera praeteream [2]).

Attamen: Макарій. Богосл. I, § 96, p. 516; — Id. Руководство къ изучен. Догм. Богосл. Москва. 1898, § 38, n. 2, p. 72—73 et Бречкевичъ, op. c. I, p. 199—201, providentiam Dei in tres dividunt actus: conservationem, concursum seu cooperationem, gubernationem. — Sed discrimen inter hos theologos et illos potius verba respicit. Et hi enim et illi, cum providentiam dividunt, ea quam supra dedimus Cathechismi definitione nituntur; in eo solum differunt, quod cum Macarius et Brečkevič «actionem qua Deus omni bono concurrit» separant atque concursum vocant, illi eandem ad gubernationem referunt. Neutri tamen hanc concursus seu cooperationis vocem eo sumunt sensu quo apud catholicos in usu est, ut infra patebit.

[1]) Макарій. Богосл. I, § 96, p. 516. «Сохраненіе тварей — это такое дѣйствіе Божіе, которымъ Всемогущій содержитъ въ бытіи какъ весь міръ, такъ и всѣ частныя существа, въ немъ находящіяся, съ ихъ силами, законами и дѣятельностію». — conf. Бречкевичъ, op. c. I, p. 200; — Филаретъ Черн. op. c. I, § 94, p. 144; — Antonius vero hanc dat definitionem: «Conservatio est ea divinae providentiae actio, qua Deus naturam cuiusque in mundo creaturae sustentat ut quoad existentiam ita et quoad facultates et operationem. Антоній, op. c. § 86, p. 88.

[2]) Neque enim ipsa res est clara, quomodo concursus, modo recte intelligatur, conservatione includi possit? Quod

X. Gubernatio est ea Dei sapientissimi actio, qua Ille creaturas cum omni earum vita et actione ad finem, quem posuit, dirigit [1].

Gubernatio specialiter ad creaturas rationales refertur atque in eo consistit, quod Deus a) omnibus bonis earum actionibus cooperatur, b) malas vero praecidit et limitat, corrigit et ad bonos efectus convertit [2].

Cum haec ultima Dei Gubernatoris actio, quae malas scilicet actiones respicit, potius ad statum hominis post lapsum referenda sit, idcirco illam tantummodo quae «omni bono concurrit seu cooperatur» propius considerabimus.

XI. «Concursus ille seu cooperatio est iuxta Macarium ea Dei actio, qua sua Bonitas cum creaturas propriis earum viribus legibusque uti sinit, tum praeterea etiam et opem suam eis et robur (подкрѣпленіе = confortationem) tempore operationis

---

enim creaturae operationem attinet, minime sufficit, ut Deus solum vires agendi tribuat et conservet; sed necesse est, ut physice et immediate ad ipsum quoque virium exercitium cooperetur, ut eas applicet.

[1]) Филаретъ Черн. op. c. I, § 95, p. 145; — Макарій. Богосл. I, § 96, p. 516; — Антоній, op. c. § 89, p. 90.

[2]) Рудаковъ А. П. Православное Догм. Богословіе. Изд. 2. СПБ. 1894. § 50, p. 90. «Управленіе Божіе разумными тварями выражается преимущественно въ томъ, что Онъ добрымъ ихъ дѣйствіямъ вспомоществуетъ Своими откровеніями и Своею благодатію, а злыя ихъ дѣйствія или останавливаетъ, или ограничиваетъ, или направляетъ ихъ къ добрымъ послѣдствіямъ». — Өаворовъ, op. c. чтн. 8, p. 93—95; — Макарій. Богосл. I, § 96; — Филаретъ Черн. op. c. § 96; et ceteri.

praestat»[1]). «Huius cooperationis necessitas, inquit idem ulterius, praesertim relate ad creaturam rationalem sentitur, quae gratia divina contitnuo eget, ut in vita spirituali proficere possit. Ceterum quod creaturas liberas attinet, Deus cooperatur solummodo tunc, cum illae libere eligunt et operantur bonum; cum vero suo arbitrio eligunt illae et faciunt malum, est solummodo permissio ex parte Dei et non cooperatio»[2]).

Hic concursus diverse vocatur: auxilium, auxilium divinum, supernum, speciale, adiutorum, confortatio, concursus specialis, vis divina, Dei gratia etc.[3]).

Is proprie solas creaturae vires respicit[4]). Est vero necessarius «independenter ab existentia mali in mundo h. e. etiam in statu mundi normali seu

---

[1]) Макарій. Богосл. I, § 96, p. 516: «Содѣйствіе или вспомоществованіе тварямъ — такое дѣйствіе Божіе, которымъ Всеблагій, представляя имъ пользоваться собственными силами и законами, вмѣстѣ съ тѣмъ оказываетъ имъ и свою помощь и подкрѣпленіе во время ихъ дѣятельности». conf. Бречкевичъ, op. c. I, p. 200.

[2]) Макарій. Богословіе. I, § 96, p. 516; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 200; et alii.

[3]) Помощь Божія, высшая помощь, благодать, воспомоществованіе, содѣйствіе, содѣйствіе благодатное, подкрѣпленіе, высшая промыслительная сила etc. — Vide locos, quos supra citavimus et in genere ubi russi de providentia agunt.

[4]) Макарій. Богосл. I, § 96, p. 516; — Свѣтловъ, op. c. I, § 32, p. 377—378; et alii — Macarius, qui tres actiones divinae providentiae distinguit, hoc modo eas inter se referri docet: «Conservatio et esse creaturarum et vires et actiones complectitur; cooperatio proprie vires respicit; gubernatio ad vires creaturarum et actiones se extendit. Conservat Deus omnes creaturas, cooperatur solis bonis, malis permittit solummodo earum malas actiones; gubernat pariter omnes creaturas». Макарій, l. c. § 96, p. 516. — Qui vero duos tantummodo pro-

originali fuisset necessarius» [1]. Ergo non solum homo lapsus eo indiget, sed etiam innocens, immo vero et angeli.

«Necessitas ejus repetitur tum generatim ex eo, quod omnis creatura, cum limitata sit et finita neque per se subsistat, quidquid opus habet a Deo accipiat necesse est; — tum specialiter cum libera atque ad eligendum faciendumque et bonum et malum aeque apta sit, deficere potest; atque ut eligat et faciat bonum, Deus ei succurrat oportet» [2].

Itaque hic concursus accedit ad creaturae vires, «quas Deus jam agere sinit», ut ait Macarius, fertque eis speciale auxilium, specialem opem; ergo videtur esse distinctus a concursu, quem nos dicimus, naturalem, est concursus specialis. Procedit ille ex Dei bonitate vocaturque Ejus gratia: ergo consideratur ut indebitus, gratuitus. Est ille ad ducendam vitam vere spiritualem, ad opera vere moralia (h. e. salutaria [3]) necessarius: ergo est supernaturalis. Sed ex

---

videntiae actus esse volunt, esse creaturarum et vires et actiones ad conservationem spectare dicunt, ad gubernationem solum vires et actiones. Ceterum cum de creaturarum viribus agunt, specialem Dei cooperationem pariter, atque primi, ponunt.

[1] Свѣтлевъ, op. c. I. § 32, p. 378; vide et alios, quos supra citavimus.

[2] Макарій. Богосл. I. § 84. p. 466; § 85, p. 469; — Свѣтловъ, op. c. I, § 32, p. 377—378; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 9. p. 113—114; — Сильвестръ, op. c. III. § 56—57; et alii.

[3] Никитскій С. Вѣра. II. p. 31—32. — Diximus «salutaria», ut potius nostris theologis res clarior esset; russi nunquam utuntur hac voce, et quidem iure merito, quia in eorum systemate, ut patebit, de operibus salutaribus, sicut nos ea intelligimus, nullus sermo esse potest. Opera vero quae ducunt ad vitam aeternam — russi in genere appellant bona, spiritualia moralia, vere moralia etc.—Diximus: «russi videntur distin-

altera parte cum necessitas hujus cooperationis seu concursus, ut infra dicetur, neque deducatur nisi ex naturali defectibilitate creaturae et imbecillitate neque exigatur nisi ad conficiendum iter quod ducit ad ultimum finem, qui per se creaturae connaturalis est, iterum non versatur iste concursus nisi in ordine naturali.

Quidquid est, id certum manet russos theologos, si quod auxilium gratuitum, si quam gratiam a Deo creaturae rationali praestari admittunt, hoc concursus seu cooperationis nomine eam complecti, saltem cum de homine innocenti agunt.

Ceterum hic concursus vario sensu apud russos usu venit.

Interdum a conservatione et concursu, quem nos dicimus naturalem, non distinguitur et ejus sensu usurpatur [1]).

---

guere inter concursum naturalem ac debitum et supernaturalem et gratuitum», res enim admodum dubia est. Certum enim est, plures, ut Silvester, Tichvinski, non distinguere inter alterutrum, sed utrumque eodem nomine providae cooperationis seu gratiae complecti, ut infra explicabitur. Neque apud Macarium res plane perspicua est. Certum solummodo est eum distingere inter conservationem et cooperationem, quam prout omni bono concurrit gratiam vocat; sed conservatione solummodo s u s t e n t a t u r creatura; ergo tum etiam non est nisi in potentia ad agendum; ergo transitus ad actum necesse est iam cooperationi adscribatur etc.. In genere russorum doctrina de providentia et praecipue de conservatione et concursu valde obscura est et intricata; sed de hac re specialis dissertatio ut conscriberetur, optimum esset; res enim maximi momenti est, praecipue ad intelligendam doctrinam et errores russorum in tractatu de gratia.

[1]) «Тихвинскій. op. c. II, чтн. 9, p 108—114; — Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 416; et alii.

Proprie et cum ad omnes creaturas extendunt, russi hac voce ea videntur intelligere auxilia, quae Deus ut sapiens et bonus Dominus ac provisor sine debito, gratis suae creaturae praestat, ut finem, ad quem creatione destinata et natura sua apta est, assequi possit: beneficia igitur a beneficio creationis distincta [1]. Ergo ea auxilia, quibus catholici interdum nomen gratiae philosophicae dant.

Speciali modo hunc concursum russi ad solas creaturae rationalis operationes bonas restringunt atque eum, quem nos concursum moralem dicimus, intelligunt [2].

Strictissimo vero sensu ac speciali hoc nomine ejusmodi auxilium divinum intelligunt, quod Deus ex sua benevolentia largitur, quo vero creatura absolute indiget, ut «in vita spirituali progredi», actus «spirituales», «vere morales» perficere possit. Hoc sensu concursus ille specialiter ad creaturae rationalis voluntatem refertur atque gratia divina, gratia spiritus sancti, gratia supernaturalis dicitur [3].

Ergo accedit ad gratiam quam nos dicimus actualem cooperantem seu adiuvantem [4].

---

[1]) Макарій. Богосл. I, § 96. p. 516: — Бречкевичъ, op. c. I, p. 200: — Definitionem gratiae philosophicae vide apud Hurter. S. J. Theologia Dogm. III, n. 6, adn. 3.

[2]) Eidem l. c.: — Өаворовъ, op. c. чтн. 7, p. 92 et alii.

[3]) Макарій. Богосл. I, § 85. p. § 516: — Id Введеніе въ Пр. Б. § 13; — Рудаковъ. op. c. § 50, p. 90: — Өаворовъ, op. c. чтн. 7, p. 93 etc. Haec gratia, quamquam admodum raro, appellatur tamen supernaturalis: sed huic voci, ut in decursu dissertationis videbimus, russi omnino aliam significationem atque nos tribuunt.

[4]) Ne confusio fiat, theologos catholicos secuti quasdam, quae in nostro opere occurrunt, gratiae divisiones definitiones-

Attamen nunquam russi hujus concursus nomine gratiam quam vocamus elevantem intelligunt, saltem

---

que adicimus. — Gratia dividitur in naturalem, quae est donum divinum naturale creaturae intellectuali gratuito datum, et supernaturalem, quae est donum divinum supernaturale creaturae intellectuali gratuito datum ad salutem aeternam ordinatum. — Gratia supernaturalis altera dicitur gratis data, quae est supernaturale donum divinum homini gratuito datum ad proximi salutem directe ordinatum, altera vero gratum faciens, quae est domum divinum supernaturale internum creaturae intellectuali gratuito datum ad redendam illam ipsam sanctam Deoque gratam. — Haec gratia dividitur in habitualem et actualem. Gratia habitualis est donum divinum supernaturale internum creaturae intellectuali gratuito collatum permanenter; est ea adistar habitus, tamquam forma vel qualitas animae inhaerens fixa, permanens, dummodo ne peccato mortali expellatur; ea reddit creaturam divinae naturae consortem, formaliter sanctam, Deo gratam et ad vitam aeternam acceptam. Gratiam habitualem subdividunt in sanctificantem vel iustificantem, virtutes infusas et dona spiritus sancti. Recentiores theologi gratiam habitualem ut plurimum simpliciter sanctificantem vocant; quod quidem eos secuti et nos interdum facimus; quamquam id minus recte fieri fatemur, etenim utraque gratia tam habitualis quam actualis hominem sanctificant: illa quidem formaliter, haec efficienter. — Gratia actualis est donum Dei supernaturale creaturae intellectuali ad salutem aeternam gratuito datum per modum actus vel motionis transeuntis; est virtus motioque divina gratuita, libero arbitrio impressa illudque reducens de potentia ad actum supernaturalem. Per gratiam enim habitualem aliosque habitus infusos elevatur liberum arbitrium iuvaturque, ut sit potens in actu primo ad operationes supernaturales; sed ut actualiter eas operetur et exeat de potentia ad actum secundum, eget auxilio speciali movente ad agendum et secum operante. — Gratia actualis dividitur in operantem et cooperantem. Operans dicitur ea quae sola efficit boni salutaris volitionem in libero arbitrio praevie id non desiderante, conante aut merente, sed subinde demerente, averso et

cum de homine innocenti disserunt [1]. Sed neque aliter fieri potest. Istud enim providentiae divinae auxilium ex opinione russorum non respicit nisi creaturae vires atque non est nisi adiuvans, auxilians. De ratione autem gratiae elevantis est, ut creaturam sanctificet, ut eam supra naturae conditionem elevet, ex ordine, in quo vigore suae naturae est, in alium altiorem, qui super suam naturam est, evehat. Ergo gratia elevans non

repugnante; est ea gratia in cuius efectu mens est a Deo mota et non movens. Gratia vero c o o p e r a n s est ea quae salutare opus non sola operatur sed simul cum libero arbitrio; in cuius effectu mens est a Deo mota et movens. S. Thomas, sum. 1, 2 q. 111, n. 2 hanc divisionem extendit quoque ad gratiam habitualem, quae ab eo operans dicitur quatenus dat esse divinum creaturae rationali eamque formaliter sanctificat, cooperans vero quatenus est operationis meritoriae principium radicale caritate aliisque virtutibus mediantibus — Porro gratia actualis dividitur etiam in excitantem, adiuvantem, praevenientem, subsequentem, concomitantem etc.; quae divisiones, quid sibi velint, ex terminis patet. Tandem gratia dicitur elevans quatenus ex ordine naturali in ordinem supernaturalem creaturam intellectualem transfert eamque reddit parem attingendo fini supernaturali. Vide J. Polman. Breviarium theologicum, vox gratiae. S. Thom. Sum. 1, 2 q. 109 sq.

[1] Notamus nos passim hic prae oculis habere creaturam rationalem ante lapsum. Post lapsum enim alia est conditio hominis et alia Dei relatio ad eum. In hoc statu ponunt russi necessitatem gratiae sanctificantis. Sed utrum ei vim elevandi tribuunt, an non potius purificandi hominem a macula originali, reparandi eius depravatas vires atque ad statum originalem normalemque reducendi, non est nostrum hic inquirere. Vid. Cwlaлom., op. c. II, § 53, praesertim pp. 223, 224, 225 et alios ubi de necessitate providentiae ad reparanda mala agunt, ut creatura rationalis ad finem, qui ab aeterno semel a Creatore positus est, perducatur. Conf. N. M. Δαμαλας. Περι 'Αργων. p. 151, 175, 190 sq.

solum auxiliatur sed etiam sanctificat, non solum vires creaturae roborat et adiuvat, sed totam eam ex statu in statum transfert. — Sed neque apparet, ad quid elevatio in systemate russorum necessaria esset, cum ultimus finis creaturae rationalis, beatitudo aeterna, non ponatur supra et praeter ordinem naturae.

Ceterum sicut cooperationis nomen ita et gratiae ex altera parte vario sensu adhibetur a russis: Modo designat specialem illam opem, quam Deus Provisor fert hominis voluntati, cum illa eligit operaturque bonum, ut supra vidimus apud Macarium; modo generatim specialem illam cooperationem, qua Deus providens omni rationalis creaturae indigentiae subvenit, ut apud omnes quam plurimum adhibetur; modo omnia auxilia quae Provisor creaturae praestat, omnem generatim Dei providentis ad rationalem creaturam relationem seu simpliciter providentiam; ita ut providentia et gratia, ex providentis Dei relatione et ex gratia, providentialis et gratuitus interdum adhibeantur a russis tanquam synonyma, ut apud Silvestrum et Tichvinski [1]).

XII. Porro si subjecta, circa quae providentia divina versatur, respicias, cum aliter Deus regat creaturas irrationales, quae legi necessitatis subjacent, et aliter rationales, quae liberae sunt libereque iuxta leges morales agunt, — et providentia divina in absolutam et conditionatam dividitur [2]).

---

[1]) Conf. infra caput de relatione Dei provid.

[2]) Антоній, op. c. § 91, p. 92- — Свѣтловъ, op. c. I, § 31, p 343.

XIII. Si vero modum agendi attendas, providentia est vel naturalis vel supernaturalis.

«Naturalis modus providendi hominibus, inquit Macarius, in eo consistit, quod Deus conservat eos, concurrit bonis eorum actionibus dirigitque eos ad ultimum vitae finem mediis naturalibus h. e. ope virium ac legum quae ipsi naturae humanae et naturae externae insitae sunt, pariter et ope naturalis in mundo rerum et temporum cursus» [1]. Hic notamus, cum Macarius huic providentiae naturali etiam cooperationem bonis creaturae operationibus tribuat, oportere, ut gratiam quoque eadem providentia comprehensam esse velit, ut patet ex n. XI. Id ex eo quoque colligi potest, quod Macarius providentiae relationem ad hominem innocentem vocat ordinariam, naturalem, et tamen pluries apud eundem Macarium idem Deus providens primo homini gratiam ad bene operandum largiri dicitur [2].

Ceterum, ut supra diximus, alii theologi providentiam et gratiam tanquam synonyma promiscue adhibent; ex quo efficitur, ut naturalis nomen alio sensu a russis sumatur atque a catholicis.

---

[1]) Макарій. Богосл. I, § 120, p. 596. «Естественный способъ промышленія Божія о людяхъ состоитъ въ томъ, что Богъ хранитъ ихъ, содѣйствуетъ имъ въ доброй дѣятельности и направляетъ ихъ къ послѣдней цѣли ихъ бытія средствами естественными, т. е. посредствомъ силъ и законовъ, положенныхъ въ самой-же природѣ человѣческой и въ природѣ внѣшней, и посредствомъ естественнаго теченія вещей и обстоятельствъ въ мірѣ».

[2]) Макарій. Богосл. I, § 5, p. 27; § 85, p. 467 sq. Quidquid est, haec iterum nobis documento esse possunt, quomodo russi naturalem concursum cum supernaturali identificent, vel saltem confundant.

«Supernaturalis vero providentiae modus iuxta Macarium tunc est, cum hominum curam gerens Deus ad eorum bonum adhibet media supernaturalia, miraculosa» [1]). Deinde Macarius quaedam miracula, quae nonnullarum personarum gratia in Vet. et Nov. Testamento facta erant, enumerat atque hisce concludit: «Praeter hos particulares supernaturalis de homine providentiae casus, qui admodum varii ac diversi sunt, huc specialiter spectat tota supernaturalium divinae oeconomiae actionum series, quas Dominus proprie ut generis humani Redemptor operatus est operaturque» [2]).

Svietlov ita paucis haec complectitur: «Naturalis providentia Dei ibi est, ubi consilia divina naturali, qui semel a Deo status est, rerum cursu adimplentur sub cura tamen et providentiali inspectione divina. Ad supernaturalem vero providentiae actionem pertinent omnia miracula, veluti ea quibus res gestae Ecclesiae Dei toto terrarum orbe abundant» [3]).

Haec idea, qua supernaturalis providentia miraculis consistere exhibetur, sat communis est [4]).

Item communiter hanc supernaturalem providentiam speciali modo ad statum hominis post lapsum referunt praecipue vero ad opus nostrae salutis

---

[1]) Макарій. Богосл. I, § 120, p. 596.

[2]) Макарій. Богосл. I, § 120, p. 596—597.

[3]) Свѣтловъ, op. c. I, § 31, p. 343.

[4]) Макарій. Богословіе I, § 120, p. 596—597; — Антоній, op. c. I, § 88, p. 90; § 91, p. 91; — Свѣтловъ, op. c. I, § 31, p. 343, 346—347, 365; — Рудаковъ, op. c. § 48, p. 86; — Ѳаворовъ, op. c. чтн. 7, p. 94; — Филаретъ Черн. Богосл. I, § 43, p. 142, qui miraculis etiam prophetias addit; Id. § 95, p. 146.

(τὴν τῆς σωτηρίας οἰκονομίαν [1]). Sic iuxta Macarium dogmata nostra sunt duplicis generis: «Alia continent doctrinam de Deo deque Ejus ad hominem (scl. innocentem) relatione naturali, ordinaria, quae Deo erat et est ad ceteras quoque mundi creaturas; quae relatio duabus Dei actionibus manifestatur: creatione et providentia. Alia vera exponunt veritates de Deo ut hominis Redemptore deque Ejus ad genus humanum relatione supernaturali, extraordinaria, speciali, quae magnum nostrae salutis opus vocatur» [2].

Ex quo sequitur, ut russi non rectam habeant naturalis et supernaturalis ideam aut saltem utrumque confundant. Supernaturale enim idem est eis atque extraordinarium, miraculosum — et ordinarium idem atque naturale.

XIV. Complectamur paucis quae diximus aplicemusque ad creaturam rationalem ante lapsum. Relatio Dei ad eam est ordinaria, naturalis; constat creatione et providentia. Deus Creator eo ipso, quod producit creaturam, ponit ei finem datque aptitudinem

---

[1]) Макарій. Богослов. I, § 5, p. 27; § 51, p. 350; § 120, p. 597; — Филаретъ Черн. op. c. I, § 95, p. 145; — Өаворовъ, op. c. чтн. 7, p. 96; — Рудаковъ, op. c. § 48, p. 86; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 9, p. 115; чтн. 12, p. 151. — Non obstante hac generali divisione, interdum russi de quadam supernaturali providentia etiam relate ad hominem innocentem loquuntur. Sic idem Macarius (Введеніе. § 13) docet Deum multoties primo homini se revelasse modo supernaturali; atque in hoc ille ponit providentiam supernaturalem relate ad primum hominem. Item Silvester, op. c. III, § 68, p. 495 providentiam erga primum hominem appellat supernaturalem; conf. idem III, § 59, p. 426.

[2]) Макарій. Богослов. I, § 5, p. 27.

ad eundem assequendum. Deus provisor ducit dirigitque eam ad finem.

Sed etsi creatura rationalis ipsa natura sua apta sit ad assequendum suum finem, ad quem pariter ipsa natura sua destinatur, tamen assequi eum non potest nisi providentia divina adiuvante atque cooperante, nisi gratia accedente.

Ita passim omnes theologi, puta Svietlov de rationali creatura generatim: «Quamquam creatura, inquit, necessariis viribus facultatibusque ad assequendum suum finem praedita est, tamen ipsa per se sine ductu atque cooperatione providentiae imbecillis est atque impotens ad assequendum eundem propriis viribus» [1]).

Etiam spiritus puri ad persequendum suum finem indigent hac Dei cooperatione seu hac Spiritus s. gratia [2]).

Praesertim hoc de primo homine etiam atque etiam repetitur. «Catholici, inquit Silvester, non satis animum attendunt ad id, quod homo ad imaginem Dei creatus erat et quod propterea ipsa sua natura ad vitam divinam et consortium cum Deo destinatus erat, quorum pignora et facultates propriis ejus viribus continebantur; quae quamvis possent et deberent non aliter evolvi et excrescere ac solummodo gratia et virtute divina adjuvantibus» [3]). «Homo, inquit Uspienski, creatus erat ad imaginem Dei atque creatus ipsa natura sua (verbotenus: natura naturali) perfectus

---

[1]) Свѣтловъ, op. c. I, § 32, p. 377.

[2]) Сильвестръ, op. c. III, § 53, p. 378; conf. Макарій Введеніе. § 13, p. 28; — Рудаковъ, op. c. § 28, p. 43—45.

[3]) Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 416; — Idem repetit Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 128.

h. e. plane suae altae destinationi correspondens (proportionatus), quamquam prosequi suum finem, id est Dei assimilationem et debuit adiuvante gratia divina»[1]. Idem alii, ubi de providentia divina relate ad primum hominem agunt.

Sed cur creatura rationalis illum finem, ad quem natura sua et destinata est et apta, natura quoque assequi non potest? — Eo iuxta russos, ut supra vidimus, quod creatura rationalis, cum finita sit, a fine deficere potest; cum vero libera sit, ad bonum aeque et malum apta est. Ergo ut bonum operetur neve a fine suo deficiat, indiget providentiae concursu, speciali auxilio Dei seu cooperatione, seu gratia adiuvante; sine qua neque generatim evolvi aut progredi creatura protest neque vitam «vere spiritualem» ullo modo agere aut opera vere moralia exercere[2].

Itaque finis, ad quem creatura rationalis ultimo destinatur, quamquam non est omnino supra eam, supra ejus saltem innocentis naturam, est tamen prorsus supra ejus vires seu potius virium exercitium, supra ejus evolutionem, progressum ac profectum[3].

---

1) Успенскій. Обличительное Богословіе. СПБ. 1894. Изд. 4, pag. 39.

2) Vide quae supra n. XI disseruimus. — Свѣтловъ, op. c. I, § 29, p. 327—330: § 33, p. 396 necessitatem quidem huius providentialis Dei actionis non solum ex ipsa creaturae finita et limitata repetit natura, sed etiam ex fine, ad quem illa destinatur. Attamen non ideo, quod ille finis naturam eiusque vires atque exigentiam plane transcedat, ut catholici volunt; sed solummodo quod, cum infinitus sit, a finita creatura attingi non possit nisi adiuvante gratia.

3) His etiam magis confirmatur russos nullam elevationem admittere; de qua re fusius infra. Profecto russi etiam atque

6. XV. Praecipuum igitur discrimen inter catholicos et russos in concipienda supernaturalitate status creaturae rationalis (si in systemate russorum omnino de supernaturalitate sermo esse potest) non tam in ultimo creaturae fine intelligendo est quaerendum neque in mediis determinandis, quae ad eundem assequendum necessaria sunt. Nam quidquid est, et russi, sicut nos, obiective ponunt ultimum primi hominis finem beatitudinem aeternam una cum visione Dei beatifica, utcumque ejus relationem ad naturalem creaturae aptitudinem intelligunt; pariter concedunt hominem non potuisse suum finem attingere nisi adiuvante gratia divina, quomodocumque iterum hanc gratiam concipiunt. Summa discriminis inter utrosque, ut ita dicam, videtur latere in concipiendo determinandoque transitu a naturali statu ad supernaturalem, quantum de eo apud russos sermo esse potest.

---

etiam repetunt primum hominem prodiisse e manibus Dei innocentem h. e. sine peccato, sanctitatem vero debuisse illum propriis viribus acquirere adiuvante solummodo gratia. Филаретъ, op. c. I, § 129; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 196; — Сильвестръ, op. c. III, § 56—57; — Титовъ, op. c. yp. 21 p, 212 et alii. Quae doctrina hanc videtur supponere ratiocinationem: primus homo innocens, sine peccato prodiit e manibus Dei; nulla ergo indiguit sanctificatione. — Hoc aperte profitetur Damalas, cum protestantes impugnat: Πλάσας δὲ ὁ θεὸς αὐτόν (ἄνθρωπον), ἔδωκεν αὐτῷ τὴν χάριν αὐτοῦ, ἵνα τῇ ταύτης βοηθείᾳ δυνηθῇ νὰ πληρώσῃ τὸν προορισμὸν αὐτοῦ... Ὥστε ὁ Κ. Νέανδρος ἀπατᾶται λέγων, ὅτι τὸ ὄνομα χάρις ἔχει τὴν ἁμαρτίαν τοῦ ἀνθρώπου ὡς προϋπόθεσιν (Catholicismus und Protestantismus) διότι τοῦτο μόνον περὶ τῆς δικαιούσης χάριτος ἀληθεύει, ἀλλ' οὐχὶ καὶ περὶ τῆς εἰς τὸ καλὸν καὶ πλήρωσιν τοῦ προορισμοῦ βοηθούσης, ἥτις πᾶσι τοῖς κτίσμασι ἀναγκαιοτάτη. N. M. Δάμαλας. Περι 'Αρχῶν, p. 66, 68.

In hoc transitu duo nos catholici distinguimus: terminum a quo — recessum a natura et terminum ad quem — accessum ad statum altiorem. Hinc duplicem quoque τοῦ supernaturalis proprietatem habemus: negativam, secundum quam supernaturale est extra et praeter naturae ambitum, et positivam, vi cujus natura dono supernaturali supra se elevatur, ad altiorem, divinum transfertur ordinem. Ille transitus igitur fit dono supernaturali h. e. gratia divina sanctificante elevanteque, qua homo supra conditionem naturae evehitur et, qui natura est servus, gratia fit filius Dei atque haeres, qui natura nonnisi beatitudinis naturalis et cognitionis Dei naturalis est capax, gratia destinatur ad beatitudinem aeternam visionemque Dei beatificam fitque aptus, qui eam assequatur.

Russi vero, quod terminum a quo attinet, ultimum hominis finem non ponunt extra et praeter naturae ambitum. Homo enim eo ipso, quod procreatur, ipsa natura sua ad eum destinari dicitur atque ipsa natura sua ad eum ferri; dicitur quoque hominem ad assequendum suum finem altum plane aptum esse, viribus facultatibusque sufficientibus praeditum, ut supra vidimus. — Quod vero terminum ad quem attinet, finis ultimus tantummodo vires hominis, seu potius earum exercitium superare, tantummodo supra hominis evolutionem, gressum ad eundum esse dicitur; homo innocens non eget ad eum assequendum nisi adiutorio. — Ipse transitus fit agente providentia divina:

1) ne creatura ad nihilum recidat, conservatione «sustentantur ejus esse, vires, actiones»;

2) tum accedit gubernatio, quae ex una parte sinit creaturam, ut ait Macarius, propriis viribus legibusque agere, ex altera vero parte etiam speciali ratione creaturam confortat, ei succurrit, cooperatur; praesertim cum creatura eligit operaturque bonum, Deus providens eam iuvat sua gratia. Quae cooperatio, quae gratia ita creaturae rationali etiam innocenti necessaria esse dicitur, ut sine ea neque omnino evolvi aut progredi neque ulla «vere moralia» opera perficere neque «vitam vere spiritualem» agere queat. Atque hoc modo provida Dei cooperatione concurrente creatura incipit evolvi ac progredi ad suum finem, incipit agere vitam «spiritualem», exercere opera «vere moralia» (scilicet quae ad beatitudinem aeternam ducunt).

Itaque secundum catholicos transitus ille fit gratia habituali sanctificante seu elevante, secundum russos gratia cooperante seu adiuvante. Secundum catholicos inter ordinem naturalem et supernaturalem nullus, ut ita dicam, pons naturalis existit, quo creatura transire potest; necesse est, ut ea ex altero ordine in alterum beneficio divino seu gratia elevante transponatur. Secundum russos creatura rationalis a natura sua, ex statu naturali ad beatitudinem aeternam propriis viribus graditur, sustentante solummodo adiuvanteque Deo.

Ergo iuxta catholicos fundamentum et radix totius ordinis ad beatitudinem aeternam, cujus culmen visio Dei facialis est, est gratia habitualis sanctificans; iuxta russos vero ipsa natura adiuta solummodo gratia actuali.

Ut ipse error russorum in concipiendo determinandoque transitu creaturae rationalis a natura

sua in ordinem ad visionem Dei facialem attingendam latet, ita causa et radix hujus erroris quaerenda est in eo, quod russi inter finem creaturae naturalem et supernaturalem non distinxerunt, sed visionem Dei ad quam creatura rationalis de facto vocata est considerant tanquam finem creaturae congenitum, connaturalem. Quam confusionem in fine secuta est confusio quoque mediorum ad finem: actionis Dei concursusque naturalis et supernaturalis, gratuiti et debiti. Ex quo demum manavit falsa conceptio habitus seu ordinis naturae rationalis ad visionem Dei facialem et exclusio tandem gratiae habitualis sanctificantis seu elevantis. Qua subtracta iam neque ordo supernaturalis amplius subsistere potest.

Ultimo adhuc monemus omnia, quae dixerimus, nos dixisse continuo prae oculis habito statu innocentiae; post lapsum enim ut alia conditio hominis, ita alia est et relatio Dei ad hominem, ut docent russi.

Longius vero immorati sumus, cum res maximi momenti esset ad intelligendum, quid russi theologi et catholicis obicerent et ipsi docerent non modo de iustitia originali sed etiam de peccato primi hominis ac de nostra iustificatione.

Hisce expositis gressum facimus ad caput quod sequitur.

CAPUT II.

HISTORIA LATINI

QUEM RUSSI DICUNT ERRORIS.

1. Polemistae russi cum nati aque evoluti latini quem dicunt erroris historiam narrant, iustitiam originalem ab originali peccato non distinguunt; quos sequentes et nos utramque rem simul complectimur, cum altera alteram non parum explicet elucidetque.

Catholicum de iustitia originali et originali peccato dogma passim consideratur a russis ut foetus nefastae quam vocant progressus in fide theoriae [1]). Quae catholici enim de primi parentis sive innocentia sive lapsu docent, ea minime antiqua veteris ecclesiae doctrina esse dicitur, sed nova, quae V saeculo exorta, temporis cursu potissimum vero scholasticorum opera exculta atque evoluta, a Concilio Tridentino sancta

---

[1]) Никаноръ, архіеп. Херсонск. и Одеск. Бесѣда о томъ, есть-ли что еретическое въ Латинской Церкви. СПБ. 1889. p. 59—60; — Епифановичъ А. Записки по Обличительному Богословію. Изд. 4 Новочеркасскъ 1897 p. 33.

confirmataque sit atque nostra demum aetate ad finem perducta.

Ex russorum opinione res ita se habuit: Saeculo V° duo exorta sunt concipiendae iustitiae originalis et originalis peccati systemata. Alterum negativum — Pelagii, qui essentiam peccati in mera gratiae amissione posuit, omne discrimen inter statum Adami innocentis ante lapsum et infantis recens nati post lapsum negavit, sequelas lapsus ad solum malum, quod Adam nobis peccando reliquerat, exemplum reduxit. Alterum positivum — s. Augusini, iuxta quem ut homo innocens plena, absoluta et omni perfectione gaudebat, ita lapsus plane, profunde, radicitus corruptus est, protoparentum peccatum (nimirum ex s. Augustini sententia!) genus humanum moraliter et physice [1]) laesit atque non solum morbos mortemque in mundum intulit, sed etiam in ipso homine profundissime depravit Dei imaginem, extinxit lumen rationis, destruxit liberum arbitrium, solam peccandi libertatem reliquit. — Quae sequelae generatione in omnes transeunt homines.

Post s. Augustinum coeptae sunt in Occidente controversiae, quae secum tulerunt id, quod hujus viri doctrina sensim sensimque immutata esset peni-

---

[1]) Перовъ Ив. Руководство къ Обличительн. Богословію. Изд. 4. Рязань 1897 p. 45; — Успенскій Ев. Обличит. Богослов. Изд. 2. СПБ. 1894, p. 34 adscribit s. Augustino eum admisisse depravationem peccato naturae humanae spiritualis moralisque atque physicae. — Itaque russi videntur s. Augustino tribuere doctrinam: nimirum genus humanum quoad animam et corpus plane corruptum esse peccato atque ad moraliter bene agendum factum esse incapax. Vid. Титовъ. Георг. Уроки по пространному Христ. Катихизису. Изд. 2. СПБ. 1889, I, урокъ 22, p. 222.

tusque corrupta ratione naturae lapsae, ratione vero status innocentiae quamvis retenta sed deformata.

Anzelmus Cant. (+ 1109), scholasticae pater, primus fuit, qui s. Augustini doctrinam de peccato originali ejusque sequelis penitus evertit iecitque fundamenta novae doctrinae quae hodiedum apud latinos colitur. Is peccati originalis essentiam vult esse positam in sola debitae iustitiae nuditate: peccatum originale iuxta eum non est nisi defectus iustitiae, nisi reditus ad statum purorum naturalium; homo per peccatum originale spoliatus est solis superioribus, supernaturalibus, quae ex Dei providentis gratia ei advenerant, naturalibus quamquam debilitatis illaesis tamen remanentibus atque incorruptis. — Quod vero innocentem hominem attinet, omnis ejus perfectio, quae iustitia et sanctitate constitisse dicitur, eodem auctore Anzelmo, totaliter solis supernaturalibus gratiae actionibus adscribitur atque donum mere supernaturale putatur; — homo vero innocens, in se consideratus qua Dei creatura est, independenter scilicet a donis divinis quae supra eum extrinsecus effusa sunt, non ponitur nisi in statu purorum naturalium, qui status nihil essentialiter differre dicitur ab eo statu, in quo homo post lapsum invenitur. — Quod nihil aliud est, nisi error pelagianorum.

Anzelmum sequitur Scotus ceterique scholastici. Quorum placita a Concilio Tridentino aprobantur declaranturque dogma. Ultima veluti manus toti huic «latinae doctrinae» inponitur a Pio IX (1854) proclamato de Immaculata B. M. V. Conceptione dogmate.

Atque haec est brevis, quam russi tradunt, historia exortae apud catholicos de iustitia originali et originali peccato doctrinae [1].

2. Tria sunt digna, quae hic notentur.

I. Falso affirmatur a russis catholicam de iustitia originali et originali peccato doctrinam nonnisi saec. V° primam lucem aspexisse. Qui error in eo suam rationem habet, quod origo alicujus doctrinae confunditur cum origine controversiae de eadem ac litis [2]. Non doctrinam catholicam saec. V° ortam esse constat sed controversiam de ea atque pugnam, cum Pelagius ceterique rectum censum evertere niterentur [3].

II. Sive directe sive indirecte s. Augustinus passim ut prototypon protestantici de peccato originali sensus praedicatur; passim ei imponuntur protestantium placita: de radicitus per peccatum Adae corrupta natura humana, de penitus destructo libero

---

[1]) Istam nati atque evoluti dogmatis catholici historiam retulimus fere propriis verbis: Перовъ Ив. op. c. p. 45—46 et Успенскій Ев. op. c. p. 37—38; Сильвестръ, еп. Опытъ Православнаго Догматич. Богословія. Изд. 2. Кіевъ 1889, III, § 58, p. 415; § 64, p. 462—472; — Никаноръ, архіеп. op. c. p. 59—67; Свѣтловъ П. Я. Опытъ Апологетич. Изложенія Прав. Христ. Вѣроученія. Кіевъ 1898, II, § 39, p. 50—51, 55.

[2]) Ultima vero ratio tum huius obiectionis tum ceterorum quae de isto novo latinorum dogmate narrantur, latet in falsa russorum de dogmatum evolutione theoria.

[3]) Doctrinam vero catholicam de statu hominis tum innocentis tum lapsi antiquiorem esse saec. V sat superque monstrat historia dogmatum. Vid. Dr. Jos. Schwane. Dogmengeschichte der vornicäischen Zeit. Münster. 1862, t. I, pars III, § 48, Id. Dogmengeschichte der patristischen Zeit, t. II, pars III.

arbitrio [1]). Quae cum russi s. Augustino dent, ad quos ejus libros vel textus alludere velint, non est certum; simpliciter enim rem narrant, quin aliquo textu confirment.

Non est nostrum hic s. Augustinum vindicare [2]). Notamus tamen si quae hujusmodi, quae a russis exprobantur, s. Doctor dicat, se minime velle ea affirmare de natura humana, ut theologi dicunt, phi-

---

[1]) Перовъ Ив. op. c. p. 45; — Успенскій Ев. op. c. p. 37—38; Сильвестръ, еп. op. c. III, § 63, p. 458.

[2]) Optimum tamen fuerit, si quis id officium susceperit. Mirum quantum eius auctoritas apud russos decrevit atque in dies decrescit. — Generatim recentiores russi etiam laici s. Augustinum considerant tanquam «parentem auctoremque occidentalis christianismi etquidem utriusque eius rami ut dicunt: videlicet Latinorum et Protestantium». Родниковъ. Н. Ученіе бл. Августина о взаимныхъ отношеніяхъ между Государствомъ и Церковью. Казань. 1897, pag. I. — Haec opinio mirum quantum apud theologos invaluit. Passim s. Augustinus mox protestantium praecursor, mox «latinarum novitatum» auctor esse dicitur. Verbi gratia cum de canone s. Scripturae vel de processione Spiritus s. agunt, s. Augustinum catholicismi accusant. Vid. Перовъ Ив. op. c. p. 26—27, 35; — Епифановичъ Л. op. c. p. 25; — Успенскій Ев. op. c. p. 26 sq.; — Трусковскій И. Руководство къ Облич. Богослов. Изд. 2. Могилевъ на Днѣпрѣ 1889, p. 5—6. — In doctrina vero de protoparentum lapsu s. Doctor protastantismi reus esse dicitur. Vid. Перовъ, op. c. p. 45, 146; Свѣтловъ, op. c. II, § 31, p. 50. — In iustitia originali modo catholicis modo protestantibus favere dicitur. Vid. Свѣтловъ, op. c. p. 50, 53, 55. — In praedestinatione accusatur calvinismi. Vid. Ѳаворовъ. Чтенія о догматическихъ Истинахъ. Изд. 2. Кіевъ и СПБ. 1890, чтн. 9, p. 109—110; Сильвестръ, op. c. III, § 71, p. 517: «Hoc modo, inquit ille, s. Augustinus gradatim ac pedetentim recessit a vetere Ecclesiae doctrina de praedestinatione». — Et sic in ceteris s. Doctoris orthodoxia in dubium vocatur.

losophice sumpta, sed historice tantummodo. Hoc est, si ita affirmat quandoque de homine lapso, id facit comparate non ad statum naturae purae, in quo plures ex eis quae nunc sunt miseriae essent rationemque haberent defectuum, qui naturam quae sibi relicta est sua sponte consequuntur; sed comparate ad statum felicem, quo Adami praevaricatione excidimus, ad naturam, qualis e manibus Dei prodiit, auctam scilicet donis praeternaturalibus.

Ne multi simus, id solum afferimus quod s. Doctor de libertate: «Quis autem nostrum, inquit, dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam... Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maxime omnes, qui cum delectatione peccant» [1]. Et sic de ceteris. En quo sensu sumendus est s. Augustinus cum de hominis lapsi depravata penitus natura destructisque facultatibus loquitur.

III. Pelagius continuo ut parens catholici de peccato originali et originali iustitia dogmatis exhibetur. Quotquot sunt russi qui de hoc doctrinae capite agunt, paene omnes non possunt, quin catholicos pelagianismi vel semipeligianismi incusent [2].

Quae incriminationes in eo potissimum rationem habent, quod cum theologia catholica et terminologia vix ac ne vix quidem familiares sunt. Quo fit, ut

[1] Contra duas ep. Pelag. I, 2; Vid. Dr. Jos. Schwane, op. c. t. II, pars 3, § 68—69.

[2] Никаноръ, архіеп. op. c. p. 59—67; — Успенскій Ев. op. c. p. 37; — Епифановичъ Л. op. c. p. 35; — Перовъ, op. c. p. 44; et cet.

quae stricte distinguenda sunt confundant atque imputent catholicis quae his minime gentium probentur.

Ut exempla afferam, passim confunduntur quae a catholicis theologis de statu naturae purae docentur cum eis quae de statu iustitiae originalis affirmantur. Hinc illae etiam atque etiam repetitae incriminationes veluti: catholicos docere homini innocenti nullas prae lapso fuisse praerogativas; defectus qui in hoc perspiciantur, in illo quoque fuisse etc... Et rursus ex eo, quod non attenditur ad illam apud theologos tritam inter dona praeter et supernaturalia distinctionem, procedunt objectiones, quod catholici veluti tenerent per peccatum hominem solam gratiam amisisse nihilque amplius [1]).

Ceterum quam parum catholicae de lapsu hominis doctrinae nomen pelagianae conveniat, documento esse potest etiam ipse Nicanor archiepiscopus, strenuus istius calumniae propugnator.

Ipse enim instituta longa ac lata inter utramque haeresim (ut dicit) comparatione praeter similitudines quas opinatur non potest, quin et differentias aspiciat.

Ex ejus mente catholici in eo cum pelagianis conveniant, quod naturam humanam post lapsum eandem mansisse atque ea quae fuit ante lapsum affirment, discrimen si quod inter utramque ponant, illud non essentiale esse dicant sed formale tantummodo. Differunt vero catholici a pelagianis solum in

---

[1]) Exempla huius confussionis reperies: apud Никаноръ, op. c. p. 61—67; — Епифановичъ Л. op. c. 35—36; — Трусковскій, op. c. p. 31—32; — Успенскій Ев. op. c. 39—40; — Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 53.

eo, quod primo parenti praeterea etiam supernaturale gratuitumque iustitiae originalis donum tribuant; sed denuo consentiunt utrique, cum nomine gratiae Adami ejusmodi vim divinam intelligant quae mere extrin secus in hominem agat [1]).

En exemplum confusionis idearum!

Catholici affirmant non differre naturam lapsam a natura Adami, si haec sumatur in se abstractione facta a donis praeter et supernaturalibus, transeat; non differe vero a natura Adam, qualis e manibus Dei prodiit, — nego.

Quod illud alterum attinet, catholicos affirmare hominem innocentem non differe a lapso nisi dono iustitiae originalis: — si hoc nomine intelligatur sola gratia sanctificans, – nego; si etiam cetera dona: integritatis, sanctitatis, scientiae... concedo abstactione facta a peccati macula.

Quid sibi velit illud tertium: scilicet gratiam Adami ut aliquid eidem mere externum a catholicis intelligi, non satis clarum est. Cum Nicanor hoc obicit, argumento allegat Catechismum Romanum et Scholasticos, ubi dicitur «originalis iustitiae admirabile donum fuisse protoparentibus additum» [2]), superaditum, adiectum etc., «iustitia originali tanquam freno quodam cupiditates esse rectas» [3]). Verumvero cum Cat. R. vel theologi id dicunt, minime volunt asserere iustitiam originalem fuisse aliquid mere extrinsecum; sed solummodo indicant illa eximia dona neque constituere hominis naturam neque constitu-

---

[1]) Никаноръ, архiеп. op. c. p. 64—66.
[2]) Catechismus Romanus, p: I, c. II, 19.
[3]) Ibid pars IV, c. XII, 10.

tam consequi; illas praerogativas scilicet nullo modo fuisse primo homini debitas, sed plane gratuitas.

Ceterum censeo valde dolendum esse, quod Nicanor non dicat, in quo tandem ipsi russi a pelagianis differant quidque adhuc amplius primo homini tribuant praeter illud, quod catholici asserunt, iustitiae originalis admirabile donum?

Ceterum, cur russi istas obiectiones contra catholicos faciant atque quid velint, cum eas statuant, clarius patebit ex eis capitibus, quae sequuntur.

CAPUT III.

RELATIO DEI CREATORIS AD PRIMUM HOMINEM.

DIVISIO HUIUS CAPITIS.

Hoc caput varios continet doctrinae articulos qui partim solum primum hominem, partim totum genus humanum respiciunt. Quamquam russi alii aliter hos articulos inscribunt et alio ordine ponunt, re tamen omnes inter se conveniunt atque plus minusve hoc capite agunt: 1) de origine generis humani, 2) de natura hominis seu de composito humano, 3) de praestantia hominis seu de imagine et similitudine Dei in homine, 4) de destinatione seu fine primi hominis, 5) de perfectione eiusdem seu aptitudine ad suum finem.

Omissis duobus primis, quia et ad nostram rem non pertinent et russi in eis, si articulum de origine animae humanae excipias, fere nihil a catholica doctrina differunt [1]), considerabimus tantummodo tres

[1]) Per se patet non agi hic de origine animae protoparentis, hanc immediate a Deo esse creatam inter omnes constat.

ultimos articulos, qui iam specialiter statum primi hominis respiciunt.

---

sed de origine animae singulorum hominum. — Archiep. Nicanor, qua est libidine impugnandi catholicos, eorum doctrinam: animas immediate a Deo creari ex nihilo corporibusque infundi, haereseos et novitatis arguit (Никаноръ. Беседа. СПБ. 1889, p. 5, 84) quamquam et ipsi russi de animarum origine non omnes eiusdem sunt sententiae. — Alii enim traducianismum seu rectius generatianismum tuentur ut: Филаретъ Черн. Догматич. Богосл. I, § 126, p. 194; — Иннокентій, архіеп. Херсон. Сборникъ изъ лекцій бывшихъ профес. Кiев. Дух. Акад. 1885, p. 123; ipse quoque Никаноръ, op. c. p. 84. — Alii cum catholicis amplectuntur creatianismum; ex eis qui prae manibus nobis sunt hic citare possumus solum Сильвестръ. Опытъ Прав. Догмат. Богословія. Изд. 2. Кiевъ 1889, III, § 48, p. 339. — Tertia theologorum classis, quorum opinio hodie communis est, et generatianismum et creatianismum reicit atque aliquid medium inter utrumque fabricare nititur. «Ecclesia orthodoxa, inquit Macarius, innixa s. Scripturae textibus (Eccl. 12, 7; Is. 42, 5; 57, 16; Zach. 12, 1; 2 Machb 7, 22—24) semper eius fuit et est sententiae animas humanas creari a Deo». Provocat ad Concil. oceum. V sententiam contra Origenem: «Ἡ ἐκκλησία τοῖς θείοις ἑπομένη λόγοις φάσκει τὴν ψυχὴν συνδημιουργηθῆναι τῷ σώματι» (Mansi IX, p. 396) et ad Confess. Orth. p. 1, q. 28: «Τὸ σῶμα τὸ ἀνθρώπινον ἀπὸ τὸ σπέρμα τοῦ Ἀδὰμ καταβαίνει· μὰ ἡ ψυχὴ γίνεται ἀπὸ τὸν Θεόν, καθὼς λέγει ἡ Γραφή... μὰ ἂν ἤθελεν εἶναι καὶ αὐτὴ (ἡ ψυχὴ) ἀπὸ τὸ ἴδιον σπέρμα, ὁποῦ εἶναι καὶ τὸ κορμί, μάζι ἔθελασι συναποθνήσκειν· καὶ δίδοται ἀπὸ τὸν Θεὸν ἡ ψυχή, ἀφ' οὗ ὀργανισθῇ τὸ κορμὶ καὶ γένῃ ἐπιτήδειον εἰς τὴν ὑποδοχήν της· καὶ ὅταν δίδοται εἰς αὐτὸ χύνεται εἰς ὅλον τὸ κορμί, ὡς ἂν τὸ πῦρ εἰς τὸ ἀναμμένον σίδερον·» I. E. Μεσολορας. Συμβολικη I, p. 392. — Non obstantibus tam claris Orth. Confess. verbis Macarius prosequitur: «Ceterum supponendum est hic non immediatam divinam creationem sed mediatam intelligi. Deus scilicet creat hominum animas, sicut et corpora, vi eiusdem benedictionis: crescite et multiplicamini (Gen. 1, 22) quam nostris protoparentibus ipso initio dederat — creat vero non ex nihilo, sed ex parentum animabus. Profecto talis creatio ex animabus parentum a nobis penitus

ARTICULUS I.

DE IMAGINE ET SIMILITUDINE DEI IN HOMINE.

1. Imaginis et similitudinis notiones passim tota russorum theologia occurrunt. Quapropter multum refert, quomodo intelligantur, nosse; quod plane necessarium est ad percipiendam eorum doctrinam tum de perfectione hominis innocentis, tum de depravatione

---

non potest comprehendi, cum anima sit substantia simplex. Sed neqne illud a nobis percipi potest, quomodo Deus, qui est spiritus purissimus, possit ex substantia sua generare Filium et producere Spiritum S..., quin divisioni subiaceat? Idcirco veteres Ecclesiae doctores repetebant creationis animarum nostrarum mysterium soli Deo apertum ac notum esse». Макарій. Богосл. I,· § 79, p. 439—443: Id. Руководство, § 56, p. 98—99; — Vid. Бречкевичъ, op. c. I, § 27, p. 174—182; Свѣтловъ, op. c. I, § 27, p. 310—312; Ѳаворовъ, op. c. чтн. 6, p. 79—80; Рудаковъ op .c. § 38, p. 72; Тихвинскій, op. c. II, чтн. 8, p. 105. — Itaque iuxta communem russorum opinionem anima a Deo quidem creatur, non ex nihilo tamen sed ex animabus parentum, non immediate, sed sicut et corpus vi benedictionis divinae, quae «continuo vim suam retinet atque exercet». Si causam igitur efficientem — vim benedictionis attendas, russi ad eorum errorem accedere videntur, qui vim creandi quae infinita est homini qui finitus est insitam esse voluerunt. Si vero causam materialem «ex animabus parentum» consideres, purum generatianismum habes. Itaque tota haec theoria nihil aliud est, nisi paliatus generatianismus, ut Silvester quoque ipse observat: Сильвестръ еп. op. c. III, § 48, p. 339. — Graecorum sententia de origine animarum, si fides Pidalio detur, haec est: «ἀλλὰ καὶ κτίζονται παρὰ Θεοῦ πᾶσαι αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαί, κατά τινας μέν, δημιουργικῶς καὶ ἀμέσως, κατά τινας δὲ, ἐμμέσως καὶ προνοητικῶς, ἤτοι διὰ τοῦ πρώτου ἐκείνου καὶ ζωτικοῦ ἐμφυσήματος, κατὰ τὸν Θεολόγον Γρεγόριον (λογ. εἰς τὸ βάπτισμα) ὅπερ ἅπαξ ἐμπνευσθὲν τῷ Ἀδάμ, ἐνεργεῖ εἰς τοὺς ἐξ αὐτοῦ πάντας, κατὰ τὸν σχολιαστὴν Νικήταν, νόμος ἐν τῇ φύσει γενόμενον». Πηδάλιον. Ἐν Ἀθήναις 1886, p. 426 adnot.

lapsi. Saepe enim russi theologi de statu iustitiae originalis sic agunt, ut solis imaginis et similitudinis vocibus Adae perfectionem exprimant, quin rem accuratius determinent. Cum vero de lapsu hominis disserunt, rursus, quin peccati sequelas enumerent, simpliciter dicunt peccato hominis imaginem depravatam, corruptam, destructam, penitus sublatam esse, prout quisque vel peccati sequelas vel imaginem Dei intelligit. — Russorum doctrina haec est:

2. Homo eo praecipue ceteris animantibus praecellere dicitur, quod ad imaginem et similitudinem suam fecit eum Deus (Gen. 1, 26)[1]).

Inter hanc et illam esse distinguendum communis est sententia saltem recentiorum theologorum[2]).

---

[1]) Макарій. Богослов. I, § 82, p, 453; — Сильвестръ, op. c. III, § 39, p. 260; — Городковъ А. Догматич. Богословіе по сочин. Филарета, митр. Москов. Казань 1887, p. 84 etc.

[2]) Макарій. Богосл. I, § 82, p. 456—458; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 191—194; — Свѣтловъ, op. c. I, § 26, p. 301—304; — Рудаковъ, op. c. § 36, p. 69; etc. — Attamen sunt, qui non distinguant puta: Катихизисъ ч. I, чт. 1, p. 23, item auctor Catechismi Philaretes Moscoviensis metrop. teste Gorodkov (op. c. p. 84 adnot.) «imago et similitudo divina, inquit, non sunt explicandae ut duae res inter se diversae, quia in verbo Dei quodlibet ex hisce nominibus saepe separatim occurrit eadem vi ac significatione, atque utrumque simul sumptum». Tum etiam Филаретъ Черн. op. c. I, § 127, p. 195, adn. 56. — Сильвестръ vero op. c. III, § 39, p. 260 «ad imaginem et similitudinem, inquit, idem est atque dicere ad imaginem sui similem», tamen idem auctor aliis locis passim sicut et ceteri theologi distinguit inter imaginem et similitudinem: Vid. op. c. § 44, 56—59. — Ceterum etiam qui non distinguunt inter imaginem et similitudinem re parum differunt ab eis qui distinguunt, ut infra dicetur.

Quae distinctio, licet minus philologice, theologice tamen rectissima esse dicitur atque admodum desiderabilis [1]).

Et imago et similitudo non in corpore, sed in anima sunt quaerendae [2]).

Imago consistit in ipsa animae natura seu essentia: in eius spiritualitate, simplicitate, immortabilitate, — tum in animae facultatibus: in intellectu, in voluntate et libertate [3]), in affectu seu corde [4]). — Similitudo vero constat perfectione acquirenda et acquisita sive solis propriis viribus, sive adiuvante gratia divina; ergo etiam ipsa acquisione veritatis et virtutis et consequenter sanctitate quoque et Dei assimilatione, quae ex hac acquisione proveniunt. — Sic communiter intelliguntur imago et simi-

---

[1]) Свѣтловъ, op. c. I, § 26, p. 304; Δαμαλας. Περι 'Αρχων, p. 68—69.

[2]) Макарій. Богослов. I, § 82; Сильвестръ, op. c. III, § 39—40; — Свѣтловъ, op. c. I, § 26, p. 300—301; etc. — Confessio Orthod. pars I, q. 22 imaginem et similitudinem videtur ad dominium hominis super terram referre: Μεσολωρας. Συμβολικη I p. 387—388 — ideoque ad totum hominem. Item Филаретъ Черн. Богосл. I, § 127, in toto homine ponendam esse imaginam censet ob dominium quod in ceteras creaturas exercendum acceperit; conf. Макарій. Богослов. I, § 82, p. 456; Бречкевичъ, op. c. I, p. 192. — Tamen omnes consentiunt: proprie in anima quaerendam esse imaginem et similitudinem.

[3]) Nescio, qua ratione Epiphanovič obiciat catholicis eos in sola libertate hominis imaginem ponere? cum neque de catholicis id plane verum sit, neque russi omnino ab hac culpa liberi sint. Vid. Епифановичъ Л. Записки по Обличител. Богословію. Изд. 4. Новочеркасскъ 1897, p. 35 adnot.

[4]) Russi tres facultates animae distinguunt: intellectum, voluntatem, affectum seu cor; de qua re infra.

litudo [1]. — «Imago divina, inquit Svietlov, est Dei assimilatio, quae ipsi animae naturae est indita atque quinque essentialibus eius proprietatibus constat; similitudinis vero nomine intelligitur assimilatio, quam ipse homo acquirit exercendo et perficiendo suas vires

---

[1]) Макарій. Богослов. I, § 82, p. 456—457; — Свѣтловъ, op. c. I, § 26, p. 301—302; — Мазановъ. Руководство къ изученію Прав. Христ. Вѣры. Изд. 6. Полтава 1898, § 29, p. 53 adnot.; — Рудаковъ, op. c. § 36, p. 69; — Сильвестръ, op. c. III, § 44, p. 280—283; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 8, p. 94—95 ceteri quoque plus vel minus qui inter imaginem et similitudinem distinguunt.—Eiusdem sententiae graeci quoque esse videntur. Vid. Gas, W. Dr. Symbolik der griechischen Kirche. Berlin, 1872, § 51, p. 150—151; Δαμαλας. Περι 'Αρχων, p. 67—68.

Eorum vero qui non distinguunt inter imaginem et similitudinem (ad quam classem potissimum ei qui Catechismum sequuntur pertinent) sententia non est una; sed neque tam certum est, quid quisque eorum sentiat? — Ipse Catechismus ad quaestionem, in quonam imago Dei consistat? respodet: «Ea consistit s. Paulo explicante: in iustitia et sanctitate veritatis» (Eph. 4, 24). Катихизисъ чст. I, о 1 чл. p. 23. Quid intelligendum est hisce verbis? Si ipsius auctoris huius Catechismi Philaretis, metrop. Moscov. sententia quaeratur, is imaginem Dei ponit: a) in essentia animae, b) in eius facultatibus, c) «in iustitia et sanctitate veritatis», quibus verbis intelligit: «veram perfectionem spiritualium virium, quae in Deum sunt intentae ab Eoque impressionem veri et boni accipiunt» seu «resplendentiam divinae veritatis et bonitatis». Городковъ, op. c. p. 84—87. Itaque utrum Philaretes, ergo et Catechismus, nomine imaginis etiam aliqnid supernaturale intelligat nec ne? quod si ita sit, quid sibi illud velit et quale sit? incertum manet. — Philaretes vero Černigoviensis, qui Catechismum sequitur, ita eius verba exponit, ut nomine δικαιοσύνης «statum animae quae a peccato libera est neque bono morali obsistit», ergo perfectionem mere negativam intelligat; nomine vero ὁσιότητος «positivam conformitatem cum lege seu rectudinem (праведность — iustitia)»; atque hisce con-

facultatesque, quae ei a natura sunt datae [1]. — Iuxta Mazanov «imaginis nomine animae vires quae homini sunt inditiae, ratio scilicet, voluntas et affectus necesse est intelligantur; similitudinis vero id ipsum, quod hae vires aptae sunt, quae ad verum et

---

cludit: «imago Dei (prae ceteris) etiam in reali perfectione spiritualium primi hominis virium — in earum rectitudine, quantum creatura est capax, consistit». Филаретъ Черниг. op. c. I, § 127, p. 196. Sed nomine rectitudinis (правота) Philaretes Čern. intelligit aliquid mere naturale, ut patet ex eis quae citavimus; paragrapho sequenti (§ 129) etiam obiurgat catholicos, quod «rectitudinem (seu iustitiam) non naturalem protoparentum statum fuisse affirmant, sed speciale gratiae donum». Porro ille docet Adamum fuisse quidem innocentem, puro corde, sine defectu et vitio; — sed sanctitatem et iustitiam nondum possedisse, eas tum acquirere debuisse. Ergo si rem spectes, convenit cum eis qui imaginis nomine puram naturam intelligunt. — Etiam ex eis qui distinguunt inter imaginem et similitudinem, Phavorov et Rudakov cum primam in ipsa natura animae collocant, alteram «iustitia et sanctitate veritatis» constare docent; sed quid primus his verbis intelligat, incertum est, alter eis intelligit veritatem et virtutem, ad quas homo tendere debuit. Θаворовъ op. c., чтн. 6, p. 81; Рудаковъ, op. c. § 36, p. 69—70. — Nonnihil aliter rem concipit Antonius. Is imaginis nomine intelligit pariter ac ceteri ipsam rationalem hominis naturam; similitudinis vero nomine «rectitudinem mentis, innocentiam, puritatem cordis ceterasque virtutes et perfectiones», «non solum id, quod primo homini inerat vi craetionis (κατὰ τὸ εἶναι), sedetiam quod ex eius voluntate et activitate (κατὰ τὴν προαίρεσιν) pendere debuit», ergo aliquid acquisitum vel acquirendum. Is citat s. Joan. Damascen. de Orth. Fide. l. II, c. 12 et s. Gregor. Nyss. Homil. in Genes. 1, 26. Ergo si rem spectes, inter theologos russos de imaginis et similitudinis conceptibus non est tantum discrimen.

[1]) Свѣтловъ, op. c. I, § 26, p. 301.

bonum tendendo Deo assimilentur et perficiantur» [1]. «Imaginis nomine, inquit Gorodcev, eae vires facultatesque animae sunt intelligendae, quae homini in ipsa creatione sunt datae atque essentiam eius spiritualis naturae constituunt; huc pertinent: spiritualitas, intellectus, cor, voluntas. Similitudinis vero nomine intelligenda est continua et indeflexa spiritualium hominis virium tendentia in Deum»; citantur: Matth. 5, 48; Eph. 4, 23—29 [2].

«Patres et Doctores Ecclesiae, inquit Macarius, tradiderunt imaginem Dei in ipsa nostrae animae natura: in ejus intellectu et libertate inveniri; similitudinem vero in recta, quae ab ipso homine fieri debet, harum virium evolutione et perfectione, — speciali autem modo in humanae rationis et liberae voluntatis perfectione, in virtute et sanctitate, in acquisitione donorum Spiritus S.» [3].

Imago igitur sententia russorum nihil aliud est nisi ipsa rationalis natura hominis; similitudo vero nihil aliud nisi perfectio acquisita seu acquirenda. Quo fit, ut russi vocibus imaginis et naturae ex una parte, ex altera vero similitudinis et perfectionis seu sanctitatis h. e. veritatis et virtutis promiscue utantur [4].

Quod mutuam relationem inter imaginem et similitudinem attinet, «illam una cum existentia a Deo accipimus, hanc vero ipsi acquirere debemus, cum

---

[1]) Мазановъ. Руководство къ изученію Прав. Христ. Вѣры. Полтава 1898 § 29, p. 53.

[2]) Городцевъ П. Очерки Христ. Прав. Вѣроученія. СПБ. 1893. p. 60.

[3]) Макарій, Богослов. I, § 82, p. 456—457.

[4]) Бречкевичъ, op. c. I, p. 192; — Сильвестръ, op. c. III, § 39, p. 263 et alibi; et alii.

a Deo solam potentiam seu possibilitatem eius obtinemus [1]. — Imago est pars animae immobilis et fixa; similitudo variari et mutari potest: «estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est» (Matth. 5, 48) est terminus ad quem anima ut scandat curare debet. Imago ipsi naturae nostrae impressa est, ideoque inseparabilis ab ea, et perinde atque ea immutabilis est; similitudo autem ex nostra voluntate pendet et arbitrio, — ergo eam acquirere possumus sed pariter et perdere nostris peccatis. Ergo sequitur, ut imago etiam in homine lapso remaneat, etsi corrupta sit, depravata etc. [2].

Quantum ad primum hominem, imago «tota sua puritate in eo splendebat», similitudo erat in eo tantummodo «in germine», «in semine». Imaginem possidebat ille plene et perfecte; quantum ad similitudinem, ad eam solummodo tendere debuit, ea erat solummodo accquirenda propriis viribus adiuvante gratia divina [3]. «Itaque, ut verbis Tichvinski utar, spiritualis moralisque, quae individuis attingenda est viribus, sui evolutio simulatque perfectio et constituit illam viam, qua homo assimilationem Dei libere acquirere potest pro suis viribus spiritualibus. Hoc sensu plures antiqui Ecclesiae doctores affirmabant, cum imago Dei

---

[1]) Макарій. Богословіе I, 82, p. 457.

[2]) Макарій. Богословіе. I, § 82, p. 548; — Свѣтловъ. op. c. I, § 26, p. 301—302; — Бречкевичъ, op. c. I, § 191—194; — Рудаковъ, op. c. § 36, p. 69.

[3]) Сильвестръ, op. c. III, § 44, p. 280—283; § 56, p. 402—403; § 58, p. 416; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 8, p. 102; — Ѳаворовъ, op. c. чтн. 6, p. 89; — Макарій. Богословіе I, § 82, p. 456—458. — Haec probantur etiam eis, quae russi de perfectione primi hominis docent, de quibus infra.

pleno suo aspectu primo homini indita esset, similitudinem h. e. facultatem seu potentiam Dei assimilationis assequendae non esse ei communicatam nisi in germine, ut ille ipse evolveret illud germen et perficeret» [1]).

3. Atque haec russi de imagine et similitudine tum in genere tum relate ad primum hominem. Quid de eorum doctrina sentiendum est?

Non quaerimus hic de objectivo eius valore in genere, de eo scilicit habeatne illa imaginis et similitudinis distinctio aliquod fundamentum? — neque de eo quomodo alterutra in se, obiective intelligi vel possit vel debeat? Haec enim russorum imaginis et similitudinis doctrina nunc tantum nostra refert, quantum hisce vocibus hominis status atque perfectio exprimi putatur [2]).

Cum sub hoc respectu res sumitur, in primis mirum est neque intelligi potest, cur russi, cum primo homini plenam et perfectam imaginem dent, quantum ad similitudinem nonnisi semen ejus, potentiam, facul-

---

[1]) Тихвинскій, op. c. II, чтн. 8 p. 120: »И такъ, духовно-нравственное самодѣятельное развитіе и совершенствованіе составляетъ тотъ путь, которымъ человѣкъ можетъ свободно достигать по мѣрѣ своихъ духовныхъ силъ уподобленія Богу. Въ этомъ смыслѣ многіе древніе учители Церкви утверждали, что, тогда какъ образъ Божій данъ былъ первому человѣку въ полномъ своемъ видѣ, подобіе, именно способность достигать уподобленія Богу, сообщено было только въ зачаткахъ съ тѣмъ, чтобы человѣкъ самъ свободно развилъ и усовершилъ его». — Is remittit ad s. Gregor. Nyss. Orat. 2 in verba: faciamus hominem; ad Clement. Alex. Strom. lib. II, c. 22; — Origen. De princip. lib. III, c. 6; — Joan. Damasc, de Orth. Fide, lib. II, c. 12.

[2]) Ipsam doctrinam catholicorum de imagine et similitudine Dei in homine vide apud S. Thomam 1, q. 93.

tatem, possibilitatem concedant? Textus enim scripturae sacrae, quo praecipue nituntur, sonat: «faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram» (Gen. 1, 22); ergo aeqae ad imaginem et ad similitudinem; non vero ad possessionem illius, sed possibilitatem huius. Quae cum obicimus argumentamur ad hominem; russi enim cum haec docent non hebraeo utuntur textu sed graeca versione.

Praterea haec russorum doctrina totam primi hominis perfectionem non exprimit. Etenim cum russi nomine imaginis nihil aliud nisi ipsam naturam rationalem, et nomine similitudinis nonnisi perfectionem quae acquiritur intelligant cumque solam illam primoparenti plene tribuant, hujus nonnisi possibilitate acquirendi concessa, — manifeste praetereunt:

1) Gratiam habitualem seu sanctificantem. Haec enim nullo modo intelligi potest, ut per se patet, nomine illius seminis [1]), potentiae, possibilitatis, quae in primo homine ponunt; gratia enim sanctificans est habitus, qualitas realis, forma infusa, θείως εἶναι ut graeci patres vocant.

Neque potest ea intelligi nomine illius gratiae,

---

[1]) Ceterum russi nomine illius seminis, germinis, illorum pignorum deisimilis vitae, quorum mentio saepe fit, nihil intelligunt nisi potentiam ad aliquid, nisi naturalem facultatem seu aptitudinem sese evolvendi ac perficiendi. «Primus homo, inquit Tichomirov, eminentes mentis, affectus et libertatis accepit a Deo vires, in quibus tamquam in semine continebantur omnes divitiae illius quae subsequi debuit evolutionis; quae vires omnino sufficientes erant, ut homo specimen illud assequi posset quod Christus ostendit: »estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est» (Mat. 5, 48). Тихомировъ Д. А. Курсъ Основнаго Богословія. Изд. 2, СПБ. 1897, p. 14.

cuius ope homo ex russorum opinione similitudinem acquirere debuit. Haec enim non versatur nisi circa potentias hominis ac nonnisi eius vires respicit; gratia vero habitualis sanctificans inhaeret animae eamque in se sine relatione immediata ad operationem (saltem immediatam) afficit. Illa non est nisi adiuvans, haec formaliter sanctificans; illa non perficit immediate nisi secundum operari, haec secundum esse, reddit hominem formaliter sanctum, iustum, deificat eum; — quod graeci patres voce θεώσεως expresserunt.

Neque dici potest primum hominem cooperante gratia propriis viribus acquisivisse gratiam sanctificantem [1]). Haec non acquiritur, sed infusa gratis accipitur. Actus creaturae, licet gratia iuvante operetur, non efficiunt sanctificationem, sed solum disponunt ad eam; dispositio autem praeparat quidem subiectum ad formae infusionem, sed non est ipsa forma.

Ergo russi, si non excludunt, saltem praetereunt gratiam sanctificantem, — ergo etiam virtutes et dona Spiritus Sancti quae eam comitantur.

2) Praetereunt quoque perfectionem, quam dixerim, infusam, — nempe scientiam tum naturalium tum supernaturalium pariter et virtutes infusas. Etenim opinione russorum haec omnia ut primus homo propria industria acquireret tendendo ad verum et bonum oportuit.

---

[1]) Haec ponimus Macarii et Brečkevič causa, qui ulteriorem fructum propriae hominis perfectionis seu evolutionis videntur ponere «acquisitionem donorum Spiritus Sancti». Макарій. Богословіе I, § 82, p. 457; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 193; ceterum uterque cum hoc dicunt, magis hominem lapsum respiciunt; cum de statu innocentis loquuntur, nulla fit mentio donorum Spiritus S.

3) Quod dona quae dicimus praeternaturalia attinet, incertum est, utrum ea russi nomine imaginis an similitudinis comprehensa esse velint. Si primum, sunt debita; si alterum, — sunt actu nulla: utrumque error est.

4. Ex eis quae diximus discrimen inter catholicos et russos patet. Si imaginis et similitudinis voce seposita loquamur, russi eximias quidem naturae vires primo homini tribuunt, nullam vero actu scientiam, nullam virtutem, sanctitatem nullam; catholici vero naturalibus primi parentis praeter et supernaturalia dona volunt esse superaddita, — eum in sanctitate et iustitia esse constitutum. Russi omnem perfectionem propriae hominis evolutioni atque progressui relinquunt; — catholici, non excluso omni progressu in accepta perfectione, docent ipsam perfectionem: scientiam scilicet et virtutem Adamum a Deo infusas accepisse.

Hinc iuxta russos primus homo solam imaginem habuit, ad similitudinem solummodo tendere debuit eamque aquirere; iuxta catholicos et imago tribuenda est primo homini et similitudo, haec tamen etiam perfici potuit et consummari debuit. Praeclare de hac re S. Joan. Damascenus: «τὸ μὲν γαρ κατ'εἰκόνα τὸ νοερὸν δηλοῖ καὶ αὐτεξούσιον τὸ γε καθ'ὡμοιίωσιν τὴν τῆς ἀρετῆς κατὰ τὸ δυνατὸν ὁμοίωσιν» [1]. Qua ratione similitudo infuerit primo homini, disce ex his: «ἐποίησεν οὖν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον ἄκακον, εὐθῆ, ἐνάρετον, ἄλυπον, ἀμέριμνον, πάσῃ ἀρετῇ τηγλαισμένον, πᾶσιν ἀγαθοῖς κομῶντα... ἄγγελον ἄλλον, θεὸν ἔχων οἶκον τὸν ἔνοικον

[1]) S. Joan. Damasc. de Fide Orth. l. II, c. 12. — Citamus s. Joannem Damasc. ob magnam, qua apud russos gaudet,

αὐτὸν ἔχων εὐκλεὲς περιβόλαιον καὶ τὴν καὶ αὐτοῦ περιβεβλημένος χάριν καὶ τοῦ μόνου γλυκυτάτου καρποῦ τῆς αὐτοῦ θεωρίας κατατρυφῶν, οἷά τις ἄγγελος ἄλλος καὶ ταύτῃ τρεφούμενος, ὅπερ δὴ καὶ ξύλον ζωῆς ἀξίως ὠνόμασται. Ζωῆς γὰρ θανάτῳ μὴ διακοπτομένης ἡ γλυκύτης τῆς θείας μεθέξεως, τοῖς μεταλαμβάνουσι μεταδίδωσιν» [1]).

Ζῶον ἐνταῦθα οἰκονούμενον τουτ'ἔστιν ἐν τῷ παρόντι βίῳ καὶ ἀλλαχοῦ μεθιστάμενον ἐν τῷ αἰῶνι τῷ μέλλοντι καὶ πέρας τοῦ μυστηρίου, τῇ πρὸς θεὸν νεύσει θεούμενον, θεούμενον δὲ τῇ μετοχῇ θείας ἐλλάμψεως [2]).

5. Radix erroris russorum doctrinae in hoc capite in eo videtur latere, quod ea confundunt aut

auctoritatem. Venerantur illum autem non ut s. patrem, cum horum periodus ex eorum mente iam saec. IV vel V clauditur, sed ut theologum eximium, qui »in omnibus spiritui atque doctrinae veteris ecclesiae catholicae fidelis est», «qui nihil refert in suo opere, quod prius non sit ab oecumenicis et particularibus synodis definitum aut a ss. Patribus Doctoribusque expositum explicatumque». Damasceni sensus est sensus totius antiquae Ecclesiae; eius verbum est veluti ultimum de eis quae antea in hac materia dicta sunt; ita ut sua dogmata iure merito antiquo ecclesiastica dici possint». Макарій. Богословіе I, § 7, p. 44—49; Сильвестръ, op. c. I, § 18, p. 114—117; Бречкевичъ, op. c. I, p. 10.

[1]) Joan. Damasc. lib. cit. c. 11; — itaque is primum hominem passim cum angelis comparat, de quibus, quod gratiam spectat, haec docet: κατὰ χάριν ἐν τῇ φύσει ἀθάνατον εἴληφυῖα (scilicet angelica substantia); διὰ τοῦ λόγου τοίνυν ἐκτισθησαν πάντες οἱ ἄγγελοι καὶ ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος διὰ τοῦ ἁγιασμοῦ ἐτελειώθησαν κατ'ἀναλογίαν τῆς ἀξίας καὶ τῆς τάξεως τοῦ φοτισμοῦ καὶ τῆς χάριτος μετέχοντες... ἔξωθεν τῆς οὐσίας τὸν ἁγιασμὸν ἐκ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔχοντες διὰ τῆς θείας χάριτος προφητεύοντες». Op. c. l. II, c. 3. Si angeli, ergo et primus homo dicendus est gratiae sanctificantis particeps.

[2]) Idem op. c. l. II, c. 12.

saltem non probe distinguunt quae ss. patres de imagine et similitudine Dei relate ad hominem lapsum docent cum eis quae relate ad innocentem sunt dicenda: atque ea (quibusdam etiam praetermissis) impendunt huic, quae non conveniunt nisi illi. Cuius rei exemplum apud Macarium, Rudakov et alios reperitur [1].

Sancti vero patres, ad quos potissimum in hac re provocant, sunt s. Joannes Damascenus et praesertim s. Gregorius Nyssenus. Cum illius doctrinam iam perspectam habemus, inspiciamus quid hic de ea re sentiat.

«Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν. Τὸ μὲν τῇ κτίσει ἔχομεν· τὸ δὲ ἐκ προαιρέσεως κατορθοῦμεν. Ἐν τῇ πρώτῃ κατασκευῇ συνυπάρχει ἡμῖν κατορθοῦται τὸ κατ' εἰκόνα γεγενῆσθαι Θεοῦ: ἐκ προαιρέσεως ἡμῖν κατορθοῦται τὸ καθ' ὁμοίωσιν εἶναι Θεοῦ. Τοῦτο δὲ τὸ κατὰ προαίρεσιν, δυνάμει ἡμῖν ὑπάρχει· ἐνεργείᾳ δὲ ἑαυτοῖς ἐπάγομεν. Εἰ μὴ προλαβὼν εἶπεν ὁ κύριος ποιῶν ἡμᾶς, «Ποιήσωμεν» καὶ «καθ' ὁμοίωσιν» εἰ μὴ τὴν τοῦ γενέσθαι καθ' ὁμοίωσιν δύναμιν ἡμῖν ἐχαρίσατο οὐκ ἂν τῇ ἑαυτῶν ἐξουσίᾳ τὴν πρὸς Θεὸν ὁμοίωσιν ἐδεξάμεθα. Νῦν μέν τοι δυνάμει ἡμᾶς ἐποίησεν ὁμοιωτικοὺς Θεοῦ. Δύναμιν δὲ δοὺς πρὸς τὸ ὁμοιοῦσθαι Θεῷ, ἀφῆκεν ἡμᾶς ἐργάτας εἶναι τῆς πρὸς Θεὸν ὁμοιώσεως, ἵνα ἄγγελος ᾖ τῆς ἐργασίας μισθός, ἵνα μὴ ὥσπερ εἰκόνες ὦμεν παρὰ ζωγράφου γενόμενοι, εἰκῇ καὶ μεται, ἵνα μὴ τὰ τῆς ἡμετέρας ὁμοιώσεως ἄλλῳ ἔπαινον φέρῃ [2]).

[1]) Макарій. Богословіе I, § 82. p. 456—458; Рудаковъ, op. c. §. 36, p. 69; Verius russi ss. patrum verba suo accomodant systemati atque ita interpretari ea student, ut suis principiis conveniant.

[2]) S. Gregor Nyss. In verba: faciamus hominem. Orat. I; Mign. 44. 273.

Haec sunt verba s. Gregorii Nysseni, quibus russi praecipue nituntur, cum de imagine et similitudine agunt.

Nullum profecto dubium est, quin hominis sit, quod imaginem, quam vi naturae a Deo impressam accepit, propria industria colat atque magis magisque Deo similem reddat, quod ad maiorem atque maiorem perfectionem seu Dei similitudinem, veritatem virtutemque consectando, tendat. Sed proprium et immediatum principium, fundamentum ac radix huius supernaturalis similitudinis non ipsa imago seu rationalis natura, ut e russorum doctrina sequitur, sed gratia habitualis sanctificans est, ut patet ex eis, quae ulterius idem s. pater docet: «Πῶς οὖν γινόμεθα καθ'ὁμοίωσιν; Διὰ τῶν Εὐαγγελίων. Τί ἐστι χριστιανισμός; Θεοῦ ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἀνθρώπου φύσει... Πῶς δὲ ενδύσῃ (Χριστόν) ὁ τὸ βάπτισμα μὴ λαβών; ὁ τὸ ἔνδυμα τῆς ἀφθαρσίας μὴ δεξάμενος» [1]). Similitudinem igitur accipimus, cum christiani fimus; christiani vero fimus, cum baptisma suscipimus, quo gratia sanctificans nobis communicatur, qua reparamur restauramurque, denuo filii Dei ac haeredes participesque divinae naturae efficimur, et in statum pristinum, quo Adae culpa excidimus, restituimur, ut Conf. Orth. Mogilae docet [2]).

Ergo si baptismate recuperamus, quod Adam perdidit, recuperamus autem praeprimis gratiam habitualem seu sanctificantem similitudinemque, — ex doctrina igitur s. patris consequens est, ut Adam

[1]) Id. l. c.

[2]) Conf. Orth. pars I, q. 103—104; Μεσολωρας. Συμβολικη, p. 425 sq.

utramque habuerit. Quod et s. Joan. Damascenus confirmat: «τοίνυν τὸν ἄνθρωπον ὁ δημιουργὸς ἄῤῥενα κατασκεύασε, μεταδοὺς αὐτῷ τῆς ἑαυτοῦ θείας χάριτος, καὶ ἐν κοινωνίᾳ ἑαυτοῦ διὰ ταύτης αὐτὸν ποιησάμενος» [1]).

Ergo gratia sanctificante similitudo Dei in homine formaliter efficitur atque constat: Haec ergo gratia nullo modo praetereunda est.

Atque haec de utroque hominis statu: ante et post lapsum valent; sed est etiam discrimen inter utrumque.

Profecto nullum quoque dubium est, quin homo, postquam baptismate similitudinem Dei accepit, postquam vi sanctiticantis gratiae, imago Dei similis est factus, sistere non debeat, sed curet necesse sit, ut etiam atque etiam altius ascendat. Quapropter et s. Gregorius Nyss. ut dixit: «Κατ'εἰκονα γὰρ ἔχω τὸ λογικὸς εἶναι, καθ'ὁμοίωσιν δὲ γίνομαι ἐν τῷ Χριστιανὸς γένεσθαι», adiungit verba s. Scripturae: «Γίνεσθε τέλειοι ὡς ὁ Πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τέλειός ἐστιν» [2]). En habemus christiani, quo tendamus. Tendere vero debemus, ut recte russi opinantur, propria industria adiuvante gratia divina veritatem et virtutem consectando. Quapropter et s. Doctor ulterius cohortatur christianos ad bona opera et virtutum exercitium.

Verum cum haec s. Gregorius docet, nos prae oculos habet. Nostra autem conditio non est confundenda cum conditione innocentis, ut idem docet [3]).

---

[1]) Joan. Damasc. de Orth. Fide, lib. II, c. 30; lib. cit. cap. 11 vocat Adamum «περιβεβλημένον χάριν».

[2]) Gregor. Nyss. l. c. Mign. 44, 273.

[3]) Ibid; Id. l. c. orat. II; et ceteris. Ceterum ad cognoscendum, quae sit doctrina s. Doctoris de statu iustitiae origi-

Primus homo, ut **p r i m u s**[1]), id quoque, ut cetera praeteream, prae nobis habuit, quod scientiam et veritatem, quas nos propria industria acquirere debemus, ille a l i q u a l i t e r omnes infusas a Deo acceperat. Quapropter ss. patres, ut nomine eorum s. Damascenum loqui faciam, passim vocant Adamum: «ἐνάρετον, πάσῃ ἀρετῇ τηγλαϊσμένον, πᾶσιν ἀγατοῖς κομῶντα»[2]), et alio loco: «δθεν, inquit, καὶ τὴν τῶν ζώων ὀνομασίαν π ρ ο φ η τ ι κ ῶ ς, ὡς δούλων αὐτῷ δόθέντων, δησποτικῶς ἐποιήσατο»[3]), προφητικῶς — ergo e scientia infusa. De qua s. Cyrillus Alexandrinus: «Διὰ τοῦτο, inquit, καὶ ὁ τροπάτωρ Αδάμ οὐκ ἐν χρόνῳ, καθάπερ ἡμεῖς τὸ εἶναι

---

nalis, remittimus ad opus: A. Krampf. Der Urzustand des Menschen nach der Lehre des heiligen Gregor von Nyssa. Würzburg, 1889.

[1]) Sumimus reduplicative; quia praecipue hanc ob rationem, «quod Adam scilicet erat principium aliorum», tribuenda est ei scientia infusa, ut docet s. Thomas: «Homo autem potest esse principium alterius, non solum per generationem corporalem, sed etiam per instructionem et gubernationem. Et ideo sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare, ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere et gubernare. Non potest autem aliquis instruere nisi habeat scientiam. Et ideo primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam in quibus homo natus est instrui». Porro agit s. Doctor de cognitione supernaturalium, quam primus homo habuit 1, q. 94, a. 3. — Idem s. Doctor cum de conditione prolis generandae quantum ad scientiam in statu originali agit, statuto principio naturale esse homini, ut scientiam acquirat. «Et ideo, inquit, dicendum est, quod pueri in statu innocentiae non nascerentur perfecti in scientia, sed eam in processu temporis absque difficultate acquisivissent inveniendo vel addiscendo» 1, q. 101, a. 1.

[2]) S. Joan Damasc. op. c. l. II, c. 12.

[3]) Id. lib. II, c. 30.

σοφὸς ἀπογερδάνας ὁρᾶται, ἀλλ'ἐκ πρώτων εὐθὺς τῶν τῆς [illegible] ῆς γενέσεως χρόνων τέλειος ἐν συνέσει φαίνεται» [1]).

Non possumus etiam, quin hac in re lectores [illegible]es ad s. Joan. Chryz. remittamus potissimum ad eius [illegible]s homil. 14 et 16 in 1 cap. Geneseos.

Atque sub hoc respectu Adam ratione similitu—[illegible]u-dinis differt a nobis. Quae ubi cum ss. patribus de[illegible]e Adam affirmamus, minime omnem eius profectum[illegible]m excludere volumus sive in scientia sive in virtute[illegible]e, ut falso nobis russi obiciunt.

Concludimus verbis s. Pauli Apostoli, ad quae[illegible]e et Philaretis Catechismus, cum imaginem hominis[illegible]s depingere vult, et nonnuli theologi, cum de similitu-dinis natura agunt, provocant: «Et induite novum[illegible] hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia[illegible] et sanctitate veritis» (Eph. 4, 24). En discrimen inter nostram conditionem et Adae. Cum nos Apostolus alloquitur, «induite» inquit; cum illius meminit, creatum dicit. Nos indui iubemur «iustitiam et sanctitatem veritatis»; ille creatus dicitur «in iustitia et sanctitate veritatis».

ARTICULUS II.

DE FINE PRIMI HOMINIS SEU DESTINATIONE.

I. Hoc capite russi agunt de fine hominis speciali, ad quem ille prae ceteris creaturis destinatus erat. Quam destinationem passim appellant altam, sublimem, supraterrestrem.

---

[1]) Cyrill. Alex. In Joan. l. I, c. 9.

1. Quae vero illa et qualis fuerit, deducunt ex «imagine Dei», quae animae impressa est, seu primum ex ipsa rationalis naturae essentia, tum e facultatibus quibus anima est praedita: intellectu, voluntate affectu seu corde [1]). Atque de hoc conveniunt omnes

---

[1]) Russi tres distinguunt animae facultates: cognoscitivam, operativam, affectivam, seu intellectum, voluntatem, affectum vel sensum, «non eum qui ad res materiales conversus est, sed eum qui altius fertur; quae est facultas sentiendi grati et ingrati». Loco voluntatis quidam ponunt libertatem, loco affectus seu sensus cor. Intellectui tribuitur cognitio, voluntati activitas, affectui seu cordi desiderium. Intellectu credimus, voluntate amamus, affectu speramus. Intellectus tendit ad verum, voluntas ad bonum, affectus ad perfectam beatitudinem. Quidam dicunt voluntate nos ferri ad sanctitatem, ad virtutum specimen; affectu vero ad pulchrum. Quidam ad cor referunt quendam instinctum religiosum seu religiosam affectionem, veluti: Сильвестръ, op. c. I, § 41, p. 273—274. Vide Пятницкій. Введеніе въ Основное Богословіе. Ставрополь 1893, § 7, § 13—14; Макарій. Введеніе. § 12—13, p. 25—29; et alii in theologiis fundamentalibus. Itaque duabus animae potentiis, quas catholici communiter ponunt: intellectui et voluntati adiungunt russi quandam tertiam. Quae quid sibi velit, non tam clarum est, ut patet; sed id maxime admirationem movet, quod tamquam ultimum huius potentiae terminum ponunt «frui perfecta beatitudine». Ceterum russi in hac potentiarum divisione, quamquam non omnino, proxime tamen videntur accedere ad systema, quod Joh. Nic. Tetens in Philosophische Versuche über die menschliche Natur und ihre Entwicklung. Lips. 1877, excogitavit: «Ich zähle drei Grundvermögen der Seele: das Gefühl, der Verstand und die Tätigkeitskraft» (t. I, p. 619 sq.). Vid. Tilm. Pesch. Institutiones psychologicae. Frib. Br. 1898. Vol. III, n. 1119, p. 440 sq. Sicut notio «imaginis et similitudinis» ita haec triplicis potentiae divisio totam pervadit russorum theologiam. E natura harum potentiarum deducunt naturam quoque religionis seu foederis quod inter hominem et Deum existere potest et debet, tum ultimum hominis finem et aptitudinem ad eundum, tum necessitatem redemptionis etc.

russi[1]). «Creator, inquit Macarius, eo ipso, quod hominem supra terrestre animantium genus exaltavit, quod eum intellectu et libertate donavit atque sua imagine ornavit, specialem et altam ei quoque destinationem praemonstravit» [2]). Favorov vero sic ratiocinatur: «possidere terram eiusque bonis frui non est ultimus hominis finis; quia haec omnia non possunt homini dare, quod ille, ut est imago Dei, exigit et quod Deo ut suo prototypo affere debet» [3]). «Si homo ipsa natura sua ut ens immortale, spirituale moraleque apparet, per se patet etiam destinationem hominis huic eius naturae debere esse proportionatam. Orthodoxa christiana Ecclesia in sua doctrina de hominis destinatione et ostendit: h u m a n a e v i t a e f i n e m p l a n e n a t u r a l i b u s h o m i n i s q u a l i t a t i b u s c o r r e s p o n d e r e atque praesupponere eius vitam spiritualem futurum esse infinitam» [4]). Et Brečkievič: «Animae, inquit, natura, quae imagine et similitudine Dei ornata est, ostendit hominis destinationem» [5]). Itaque finis, ad quem primus homo destinatus est, ut postulatum quoddam rationalis eius naturae consideratur, ut naturae rationali proportionatus habetur.

---

[1]) Макарій. Богословіе I, § 83, p. 459; Id. Введеніе § 1[illegible]2, I, p. 25; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 194; — Сильвестръ, op. c. II [illegible], § 44, p. 280; — Гихвинскій, op. c. II, чтн. 9, p. 101; — Августин[illegible], ректоръ, Руководство къ Основному Богосл. Изд. 3 Москва, 189[illegible]4, § 6—7, p. 10—14; § 17—18, p. 56—61; — Елеонскій Н. Краткія Записки по Основн. Богословію. Москва. 1895, p. 193—198; — Пятницкій, op. c. § 6 - 8, p. 16—18; § 10—12, p. 37—47 etc.

[2]) Макарій. Богосл I, § 83, p. 459.

[3]) Н. Өаворовъ, op. c. чтн 6, p. 89.

[4]) Никитскій Сер. Вѣра. Москва. 1890, II, p. 3, adnot. 3.

[5]) Бречкевичъ, op. c. I, p. 194.

2. Qui est igitur in specie ille finis, quem hoini ipsa natura monstrat?

Catechismus Philaretis respondet hominem cream esse, «ut Deum cognosceret, amaret et laudaret, que per hoc in aeternum beatitudine frueretur» [1]).

Theologi vero cum illum specialem finem quaent, in duas potissimum dispescuntur classes. Qui ıcarium sequuntur, tres hominis distinguunt fines: spectu habito Dei, sui ipsius, ceterarum creaturam [2]). Qui vero Silvestrum sequuntur duos solumodo ponunt fines: alterum, qui ratione animae eiuse trium facultatum, alterum, qui ratione corporis mini convenit [3]). Sed finem animae rursus in duos vidunt fines, qui plus vel minus primis duobus Marii finibus correspondent. Ita ut alterutri forma tius quam re differant; nisi quod Silvester eiusque seclae multo maiore cum vi nexum et proportionem ter hominis finem et naturam indicant.

Propter auctoritatem, qua gaudet, Macarium seimur aliis adhibitis ubi opus est.

«Finis hominis relate ad Deum in eo consistit, homo alto illi foederi, ad quod eum Deus in ipsa eatione, cum ei imaginem suam imprimeret, vocavit, lelis et constans permaneat; ut vi hujus vocationis tis suae rationalis et liberae naturae facultatibus . suum prototypon continuo tendat, hoc est ut co-

---

[1]) Катихизисъ чст. 1, о 1 чл. p. 25; — ultima verba de;nant beatitudinem aeternam, ut patet ex eis quae infra idem techismus docet.

[2]) Макарій. Богосл. I, § 83, p. 459—463; — Бречкевичъ, op. I, p. 194—195; — Рудаковъ, op. c. § 39, p. 73 et alii.

[3]) Сильвестръ, op. c. III, § 44, p. 280—287; — Тихвинскій, . c. II, чтн. 8, p. 101—103 et alii.

gnoscat suum Factorem ac glorificet neu vivat nisi propter Eum et in unione cum Eo» [1]. «Eo ipso, inquit Tichvinski, quod homo ad imaginem Dei creatus est, alta quoque eius destinatio determinatur. Etenim cum haec imago ipsius Dei Creatoris imago sit, iugis et continua animae humanae tendentia in Deum pariter et propensio et constituit primum ultimumque terrestrem hominis finem» [2]. Pariter Rudakov: «Deus, inquit, hominem donavit intellectu, qui fertur in absolutam veritatem, voluntate, quae tendit ad infinitum bonum, corde, quod appetit infinitam beatitudinem, eo fine, ut homo quaereret Deum, cognosceret Eum et amore prosequeretur tamquam omnis veritatis, bonitatis et beatitudinis fontem» [3]. Hic finis dicitur principalis. — Accedit vero ille ad eum, quem nos catholici dicimus finem qui seu objectivum externum.

Relate ad seipsum finis hominis est, «ut homo, quippe qui ad imaginem Dei conditus moralibusque viribus praeditus sit, continuo easdem evolvere ac perficere curet bona opera exercendo ac sese magis magisque suo prototypo et Exemplari assimilando» [4]. Hic finis essentialiter non differe a primo dicitur; immo vero eodem includi et esse veluti necessariam eiusdem assequendi conditionem, cum praecipue bonis operibus Deum colamus glorificemusque. Ex altera vero parte cum homo quantum proficiat virtute, tantum et beatitudinem consequatur, quae est effectus

---

1) Макарій. Богосл. I, § 83, p. 459.
2) Тихвинскій, op. c. II, чтн. 8, p. 101.
3) Рудаковъ, op. c. § 39, p. 73.
4) Макарій. Богослов. I, § 83, p. 460—461.

bonorum operum ac merces, potest dici hominem creatum esse ad bona opera (Eph. 2, 10) simul vero et ad beatitudinem [1]. «Itaque, inquit Tichvinski, spiritualis moralisque, quae individuis attingenda est viribus, s u i e v o l u t i o s i m u l a t q u e p e r f e c t i o e t c o n s t i t u i t i l l a m v i a m, qua homo assimilationem Dei libere acquirere potest pro suis viribus spiritualibus» [2]. Rudakov vero his doctrinam de fine concludit: «Homo conditus est, ut recta regularique suarum virium evolutione beatitudinem consequeretur» [3]. Hic igitur, quem russi statuunt, hominis finis duos complectitur fines; alterum proximum sui evolutionem ac perfectionem, alterum veluti consequentem concomitantemque — beatitudinem tum in hac vita, tum in altera, quae erit veluti ultimus fructus et corona hominis conatuum. — Itaque hic russorum finis correspondet quodammodo ei quem vocamus f i n e m q u o seu subiectivum internum (antiquiores eum dicebant formalem).

Tandem relate ad ceteras res finis hominis exprimitur verbis ipsius Dei: nempe ut praesit (Gen. 1, 26). Nam homo, qua imago Dei, constitutus est mediatoris instar inter Creatorem et creaturam, ut esset veluti propheta, pontifex et rex, qui nomine irrationalis creaturae laudes Deo panderet [4]. — Itaque hic finis coincidit cum fine, quem dicimus o b j e c t i v u m f o r m a l e m.

---

[1]) Id. l. c. p. 461—462.
[2]) Тихвинскій, op. c. II, чтн. 8, p. 102.
[3]) Рудаковъ, op. c. § 39, p. 73.
[4]) Макарій. Богослов. I, § 83, p. 462—463.

Theologi vero secundae classis, cum agunt de fine hominis ratione corporis, huic tertio fini, dominationi scilicet super terram addunt etiam alium: «Homo, inquiunt, utpote qui ad imaginem et similitudinem Dei factus sit, non alio profecto fine ad vivendum super terram conditus est, nisi ut mediante terra rebusque terrenis suam supraterrestrem consequeretur destinationem; perinde ut anima cum corpore eo coniungitur fine, ut sui ipsius evolutionem ac perfectionem mediante corpore consequatur»[1]. Ergo hi theologi modum ac viam indicant, qua homo ad finem tendere debet.

Sunt etiam theologi, qui nulli ex duabus illis, quas diximus, classibus adscribi possunt, si divisionem finis spectes[2]. Sed cum eorum doctrina ad eam, quam recensuimus, facile reducatur, eos missos facimus; excepto solo Antonio, qui totam rem maiore quadam ratione atque consequentia exponit. Is pariter tres hominis fines distnguit; sed eos ita disponit, ut primo loco dicat sui evolutionem ac perfectionem, tanquam finem hominis proximum, — altero loco beatitudinem, tanquam finem, qui primum concomitatur consequiturque, — tandem tertio loco Dei gloriam, tanquam finem hominis ultimum[3].

---

[1]) Тихвинскій, op. c. II, чтн. 8, p. 103; Сильвестръ, op. c. III, § 44, p. 285.

[2]) Verbi gratia Свѣтловъ, op. c. I, § 28, p. 312—325 et alii quidam. Alii vero cum disserunt de statu originali, tractatum de hominis fine plane omittunt, veluti: Филаретъ Черн. Богосл. I, § 127—132. Finem enim hominis includunt communi totius rerum naturae fini; de fine hominis igitur agunt, cum finem universi exponunt.

[3]) Антоній, op. c. § 125, p. 111—112.

Cum russi breviter loqui volunt, sic hominis finem exprimunt: Homo creatus est cum imagine Dei, destinatus vero ad Eius similitudinem per sui ipsius evolutionem [1]).

Itaque evolutio ut via et medium ad beatitudinem concipitur, beatitudo vero ut effectus et merces seu corona evolutionis. Restat, ut quaedam quae ad utramque referuntur, magis enucleate perscrutemur.

3. Quantum ad evolutionem nonnulli quaerunt, quousque tandem futurum fuisset, ut primus homo in ea progrederetur? qui illius evolutionis terminus futurus fuisset? «Donec futurum fuisset, inquit Augustinus rector, ut plenam, quae hominibus a Deo praestituta est, perfectionis terrestris simulatque beatitudinis mensuram attingeret [2]). Iuxta Antonium vero, quod animam attinet, «donec futurum fuisset, ut plenam, quantum substantia finita capax est, Dei similitudinis pariter et arctioris cum Deo unionis seu participationis divinae essentiae mensuram consequeretur. Quod vero corpus spectat humana natura destinata est, ut gradatim ac pedetentim transformaretur ac perficeretur, donec futurum fuisset, ut ex materiali terrestrique maturesceret atque in statum corporis spiritualis coelestisque transiret» [3]).

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 44, p. 282—283; — Гинвинскій, op. c. II, чтн. 8, p. 102. Conf. quae supra diximus, cum de imagine et similitudine Dei in homine erat sermo

[2]) Августинъ, рект. Руководство къ Основн. Богослов. Изд. 3. Москва. 1894, § 45, p. 146; et alii.

[3]) Антоній, op. c. § 125, p. 111—112; praeter Augustinum et Antonium nullus ponit hanc quaestionem, quantum assequi

Nonnulli hanc evolutionem animae perfectionemque, hunc progressum concipiunt ut quendam continuum atque iugem processum, qui, ut semel incepit, nunquam terminabitur ne in altera quidem vita [1].

---

potuimus: ideoque incertum est, cuius opinionis ceteri sint de hac re? Non desunt tamen etiam apud alios indicia quae supponere sinunt etiam ceteros vix ab Augustini et Antonii sententia differre.

[1] Haec opinio sat communis est: sed utrum omnes russi eam teneant necne, nobis incertum est. Сильвестръ, op. c. III, § 53, p. 381, idem evolutionis principium etiam bonis angelis applicat. Cum hanc hominis evolutionem docent, russi nituntur potissimum verbis s. Scripturae: «Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est» (Mat. 5, 48) et «sancti estote, quia Ego sanctus sum» Lev. 11, 44). Quibus s. Scripturae verbis russi cum utuntur, ita ea intelligere videntur, quasi ut Deus hominem vocaverit ad perfectionem et sanctitatem qua ipse perfectus et sanctus est, non vero ad eam qua hominem perfectum et sanctum facere voluit. Neque enim aliter explicari potest, cur ante hominem ponant infinitam quandam evolutionem, infinitum progressum, perfectionem quae iugiter acquirenda est sed nunquam plene attingi poterit. Sed infinitus finis est nullus finis: contradictio est. S. Thomas ad quaestionem, utrum angeli beati in beatitudine possint proficere, necne? «respondeo, inquit, dicendum quod in unoquoque motu motoris intentio fertur in aliquid determinatum, ad quod intendit perducere mobile. Intentio enim est de fine, cui repugnat processus in infinitum. Manifestum est autem quod, cum creatura rationalis per suam virtutem consequi non possit suam beatitudinem, quae in visione Dei consistit, indiget ut ad beatitudinem a Deo moveatur Oportet igitur quod sit aliquid determinatum ad quod quaelibet creatura rationalis dirigatur, sicut ad ultimum finem. Sum. 1, q. 63, a. 9. — Ceterum non est, cur dicam utroque textu non esse sermonem de sanctitate quadam identitatis sed solum similitudinis: apud s. Mat. quoad charitatem, in Lev. quoad munditiam. — Vid. Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 49.

«Estote perfecti sicut et pater vester coelestis perfectus est: hoc est, inquit Favorov, praecipuum hominis officium, cuius adimpletio cum in tempore incipit, continuari debet in aeternum» [1]. «Iusti in coelis, inquit Macarius, quo magis atque magis Dei perfectiones intuebuntur et suo intellectu assequentur, eo maiore atque maiore Eius amore accendentur, eo magis atque magis in obedientia erga Eius sanctissimam voluntatem perficientur atquc eo magis moraliter Ei assimilabuntur» [2]. «Quo vero magis in amore Dei crescent, eo in etiam atque etiam arctiorem Dei unionem intrabunt, et ob id ipsum maiorem atque maiorem beatitudinem consequentur» [3]. «Primus homo in suis spiritualibus viribus: intellectu et voluntate habuisse dicitur potentissimum medium ad infinitam evolutionem» [4]. Iuxta Piatnicki «vita aeterna est continua evolutio sine fine et impedimentis illius deisimilis intellectus et voluntatis tendentiae, cui hic solummodo initium positum est» [5]. Quae nescio quomodo russi cum notione beatitudinis componant, sive ut status termini, sive ut ultimi actus quo summum attingitur omneque desiderium expletur.

4. Quantum vero ad beatitudinem aeternam, eam russi, ut vidimus, analysi subiciendo naturam

---

[1]) Θаворовъ, op. c. чтн. 6, p. 89.

[2]) Макарій. Богослов. II, § 272, p. 664; Conf. Рудаковъ. op. c. § 110, p. 190.

[3]) Рудаковъ, op. c § 110, p. 190.

[4]) Тихомировъ Дм. Ал. Курсъ Основн. Богосоовія. Изд. 2. СПБ. 1897, p. 15.

[5]) Пятницкій. Введеніе къ Прав. Богослов. Ставрополь. 1893, § 47, p. 193.

hominis et facultates *iam ipso rationis lumine* monstrant tanquam solum, qui admitti potest, ultimum rationalis naturae finem. Sed in quonam futurum fuerit, ut haec primi hominis beatitudo aeterna, haec vita aeterna praecise constaret, non loquuntur hoc articulo nisi generatim appellando eam modo maximam Dei assimilationem seu similitudinem, modo «unionem cum Deo, in qua homo omnis studii atque exspectationis inveniet expletionem» [1], modo «participationem divinae essentiae» [2]. Verumtamen cum finis hominis innocentis et lapsi idem sit, quae hoc articulo reticentur, iure merito ex eis suppleri possunt quae tractatu de novissimis docentur. Sed cum primum ad hunc tractatum est ventum russi subito modum ac rationem discurrendi commutant; ulterius iam non procedunt solo rationis lumine innixi, naturam scilicet hominis et facultates respiciendo, sed ad Scripturam Sacram et sanctos Patres recurrunt. Atque sic iam revelatione auxilio vocata definiunt et explicant illam beatitudinem aeternam, quam ipsa hominis natura ostendere et exigere dicebatur, quae sola hominis naturae correspondere ac proportionata esse statuebatur.

Utcumque etiam in vita aeterna beatorum enarranda concipiendaque non desunt quaedam differentiae inter russos theologos et catholicos [3], tamen si id,

---

1) Сильвестръ, op. c. III, § 44, p. 280.

2) Антоній, op. c. § 125, p. 112.

3) Non consideramus hic beatitudinem ut statum; integer tractatus de hac re esset scribendus; quaedam iam in prolegomenis diximus Adn. p. 13—16. — Hic ostendemus solummodo, in quonam russi beatitudinis esentiam ponant, idque nonnisi summatim et cursim omissis dubiis et controversis.

quod summum beatitudinis est, sumatur: visio scilicet Dei facie ad faciem, nemo russorum videtur eam negare[1]).

Pariter et Philaretis Catechismus ad quaestionem, undenam futuram sit, ut oriatur beatitudo? respondet: «e visione Dei in lumine et gloria et ex unione cum Eo»; atque citat 1 Cor. 13, 12; 15, 28; Matth. 13, 43[2]).

Operae pretium est doctrinam quoque Confessionis Orthodoxae Mogilae de hac re afferre, etsi theologi non omnino eam sequuntur: «Ἡ δὲ χαρὰ καὶ ἡ ἀγγαλλάσις δὲν θέλει εἶναι ἄλλη, παρὰ ἡ θεωρία τῆς μακαρίας Τριάδος, καὶ ὁ πνευματικὸς χορὸς μαζὶ μὲ τοὺς Ἀγγέλους, καθὼς (1 Cor. 13, 12) λέγει ὁ Ἀπόστολος· βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι'ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. Ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην... Ὕστερον ἀπὸ τὴν ἡμέραν τῆς τελευταίας κρίσεως θέλεν δοθῇ ἀπὸ τὸν Θεὸν φῶς εἰς ἡμᾶς μὲ τὸ ὁποῖον θέλομεν ἰδεῖν τὸ φῶς τοῦ Θεοῦ, καθὼς (Ps. 35, 10) λέγει ὁ Ψαλμωδός· ὅτι παρά σοι πηγὴ ζωῆς, ἐν τῷ φωτί σου ὀψώμεθα φῶς. Τὸ ὁποῖον ἔστωτας καὶ νὰ θεωρεῖται, καταπαύει πᾶσαν ἐπιθυμίαν πάσης σοφίας καὶ καλωσύνης· διατί εἰς τὴν τοῦ ἄκρου ἀγαθοῦ θεωρίαν, ὅλα

---

1) Макарій. Богословіе II, § 272, p. 663—668; — Сильвестръ, op. c. V, § 212, p. 436—439; § 213, p. 439 sq.; et ceteri. — Solus Svietlov, quantum nobis notum est, hanc «visionem facie ad faciem» concipit ut quendam normalem cognitionis Dei statum, in quo Deus, qui «lucem habitat inaccessibilem (I Tom. 6, 16) tantum cognoscetur ab homine, quantum limitatae hominis substantiae accessibile est«; «finis enim supernaturalis revelationis iuxta eum est, ut transformetur in naturalem revelationem h. e. in visionem Dei». — Свѣтловъ, op. c. I, § 3, p. 35.

2) Катихизисъ, ч. 1, о 12 чл. p. 65.

τὰ ἄλλα ἀγαθὰ περικλείονται, καί πάσης εὐφροσύνης εἶναι πλήρωμα ἡ ἐκείνου ἀπόλαυσις κατὰ τὸν αὐτὸν Ψάλμῳδὸν, τὸν λέγοντα (Ps. 16, 15) χορτασθήσομαι ἐν τῷ ὀφθῆναί μοι τὴν δόξαν σου» [1]).

5. Ut paucis quae diximus complectamur, russorum sententia ultimus hominis finis est: tum gloria Dei, quae est finis qui, tum beatitudo aeterna cum visione Dei facie ad faciem, quae est finis quo. Relatio vero huius finis ad hominis naturam est haec: sicut ex una parte ipsa natura rationalis homini hunc finem monstrat, sicut homo omnibus facultatibus suis ad hunc finem fertur, ita ex altera parte hic finis plane correspondet et proportionatus est naturae hominis atque exigentiae; ita ut inter ultimum finem hominis et naturam naturalis quaedam proportio et consonantia intercedere affirmetur.

Finis vero proximus seu medius, qui scilicet ad beatitudinem aeternam ducit, est sui evolutio ac progressus dominando creaturis eisque utendo. Relatio autem inter hanc evolutionem et beatitudinem haec est: Quo magis homo evolvitur ac proficit, eo magis Deo assimilatur, eo arctius Ei unitur, eo magis de Eius perfectione participat; quo autem magis Deo assimilatur et unitur, eo maiorem beatitudinem conseqitur; donec, postquam sic se evolvendo corpore et anima maturitatem suam attigerit, tandem beatitudinem quoque aeternam consequatur una cum visione Dei. Beatitudo igitur parallela quadam et coordinata ratione oritur ex evolutione eamque comitatur consequiturque; habet se veluti effectus ad causam.

---

[1]) Confess. Orthodox. p. 1, q. 126: Μεσολωρας. Συμβολικη. I, p. 436.

Beatitudo est veluti effectus et fructus pariter atque merces et corona hominis conatuum; non tamen solius hominis sed simul et providae Dei cooperationis sine qua homo nullo modo neque evolvi nec progredi potest, ut diximus in prolegomenis et infra videbimus. Atque sub hoc respectu: quod scilitet evolutio illa ac progressus absolute excedunt naturalem hominis sibi soli relicti capacitatem, quod sine gratia Dei fieri non possunt, — finis medius seu evolutio illa est veluti supranaturalis homini: quapropter necesse est, ut sub hoc respectu beatitudo quoque aeterna veluti excedens aliquantenus perfectam hominis capacitatem naturalem consideretur neque possit dici fructus mere naturalis hominis conatuum.

II. Atque haec de ipsa russorum doctrina; sequitur, ut eius valorem consideremus.

1. Primum quod argumentandi rationem et modum spectat, russi, ut vidimus, sic procedunt, ut ultimum hominis finem esse beatitudinem aeternam respiciendo naturam hominis solo scilicet rationis lumine inferant; quae vero sit et in quo haec beatitudo consistat, iam recurrendo ad s. Scripturam et Traditionem — ex revelatione scilicet describant; atque sic librum naturae libro revelationis complent, ut si hic non fuerit nisi continuatio illius atque supplementum [1]. Sed quaeritur, eademne sit beatitudo: et ea quam

---

[1]) Neque aliter russi hanc rem concipere videntur, cum de revelationis relatione et habitu ad rationem agunt, sed de hac re integer tractatus esset scribendus: Vid. Сильвестръ, op. c. I, § 40—48, p. 272—316; — Макарій. Введеніе въ Прав. Богослов. § 13, p. 26—30; § 21—34, p. 39 - 66; — Августинъ. Руководство къ Основному Богослов. Изд. 3. Москва 1894, § 19—24, p. 61—76; et ceteri.

natura homini ostendat et ea quam Scriptura sacra et Traditio promittat? eademne sit beatitudo et quam homo vi ac iure naturae exigat quaeque ei debeatur, et quam Deus ex sua bonitate homini revelaverit sitque largiturus? Num altera beatitudo cum altera, ut ita dicam, convertuntur? nonne potius altera ab altera differunt et quidem infinite? Ad quae russi non attendunt, sed rationem cum revelatione commiscent confunduntque; quo fit, ut eorum syllogismi quatuor terminos contineant:

1) Ipsa natura rationalis ostendit ultimum hominis finem esse supraterrestrem, esse Deum, unionem cum Deo, vitam aeternam ac beatitudinem. Sed Scriptura s. et Traditio docent futurum esse, ut haec vita aeterna et beatitudo inter cetera visione quoque Dei constet. Ergo...

2) Ipsa natura homo tendit ad Deum neque quiescit nisi in unione cum Deo. Atqui revelatio docet hanc unionem constituram esse visione Dei facie ad faciem. Ergo...

2. Quam confusionem in argumentando sequitur confusio ipsius doctrinae; in qua duo nobis perpendenda veniunt: tum principium quo russi in deducendo ultimo hominis fine nituntur, tum ipse finis qui deducitur eiusque ad naturam hominis habitus.

Quod principium attinet, illud sententia russorum est ipsa imago Dei, quae homini impressa est, seu ipsa rationalis natura. Etenim, ut vidimus, tantum abest, ut russi ultimum finem, ad quem homo in hoc rerum ordine vocatus est, supra et extra eius naturae ambitum et exigentiam ponant, ut contra ex hominis natura atque facultatibus naturam quoque huius finis

deducant determinentque atque eum veluti postulatum quoddam rationalis [1]) naturae considerent.

Quid igitur veri et quid falsi inest huic principio?

Si sumamus finem qui seu objectivum h. e. ipsum bonum, in quod tenditur, nullum dubium est, quin russorum principium verum sit. Non solum enim homo, sed omnia entia ipsa natura sua appetunt summum bonum quamquam alio atque alio modo: quaedam passive tantummodo, quaedam instinctu, quae ratione vero praedita sunt etiam ratione; idcirco cum rationalia agunt propter finem, irrationalia aguntur potius in finem. Sed omnia appetunt summum bonum quod est unum tantummodo; qui est Deus. Atque sub hoc respectu unius hominis finis non differt a fine alterius neque naturalis finis a supernaturali. Idem est enim omnium Deus, in quem omnes ipsa natura ordinamur tendimusque.

Si vero finis quo seu subiectivus h. e. ipsa consecutio, possessio et fruitio summi boni consideretur, distinguendum est: quantum ad beatitudinem naturalem russorum principium verum est, quantum vero ad beatitudinem supernaturalem plane falsum. Profecto homo innato appetitu etiam exigentiae fertur in beatitudinem neque quiescit nisi cum eam consequitur. Sed hoc verum est tantummodo de beatitudine, quae naturae rationali in se consideratae convenit, quam natura rationalis solis naturae viribus ac naturali Dei auxilio attingere potest — nempe de bea-

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 28, p. 182—183; idem principium ad angelos quoque extendit; alii generatim ad rationalem creaturam ut rationalem illud referunt.

titudine naturali. Sed haec est mere hypothetica nempe supposito ordine naturali, — si Deo placuerit creaturam rationalem in puris naturalibus reliquisse. Sed in praesenti, qui de facto existit, rerum ordine supernaturali altera est beatitudo quae e speciali Dei benevolentia nos manet; de qua s. Paulus Ap.: «Oculus, inquit, non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his qui diligunt illum» (1 Cor. 2, 9). Haec igitur beatitudo ab Apostolo exhibetur tam naturae rationalis ius exigentiamque atque vires excedere, ut etiam rationis captum fugiat [1]; est igitur plane supra naturam; «gratia Dei vita aeterna» (Rom. 6, 23). Ergo quomodo e natura nostra deduci ac determinari potest, quod eam plane superat? quod mere ex gratuita ac benevola Dei destinantis voluntate pendet? Profecto huiusmodi beatitudo nullo modo a priori ex natura deduci potest, ut homini necessaria ac unice congrua; haec

[1]) Secundum probabilissimam sententiam mens nostra suis viribus ne ad possibilitatem quidem huius beatitudinis cognoscendam pervenisset: «Visio Dei intuitiva est omnino supernaturalis non solum in ratione entis, sedetiam et consequenter in ratione veri et cognoscibilis, cum neque a priori per causam naturalem neque a posteriori per effectum naturalem cognosci aut demonstrari possit demonstratione apodictica: nullam enim illa visio habet connexionem cum causa aut effectu naturali, ex cuius cognitione mens ascendat ad illam indagandam aut demonstrandam; ita ut si non existeret aut non foret possibilis ista visio, res omnes naturales forent nihilominus eodem prorsus modo, quo nunc sunt». Zigliara Card. Summa Philosophica. vol. III, Parisiis 1895 n. 7, p. 22. — Supposita tamen revelatione, ut idem docet, intellectus noster demonstrare potest visionem beatificam non solum non repugnare rationi, sed etiam convenientissimam esse.

omnia e revelatione solummodo cognosci possunt[1]. Si enim hominis libera consilia, nisi ipse manifestet, a priori cognosci nequeunt, a fortiori quomodo Dei libera consilia, qui hominem ad beatitudinem, quae extra ambitum eius naturae est, gratuito destinat, sine speciali revelatione nobis innotescere poterunt? Praeclare illud duplex bonum: naturale et supernaturale sic paucis s. Thomas complectitur. «Est autem duplex hominis bonum ultimum, quod primo voluntatem movet, quasi ultimus finis: quorum unum est proportionatum naturae humanae, quia ad ipsum obtinendum vires naturales sufficiunt. Et haec est felicitas, de qua philosophi locuti sunt, vel contemplativa, quae consistit in actu sapientiae, vel activa, quae consistit primo in actu prudentiae et consequenter in actibus aliarum virtutum moralium. Aliud est bonum excedens, quia ad ipsum obtinendum, vires naturales non sufficiunt: nec ad cogitandum vel desiderandum, sed ex sola divina liberalitate homini repromittitur. 1 Cor. 2. Et hoc est vita aeterna»[2]. Atque sub hoc respectu principium russorum falsum est.

---

[1]) Et russi praedicant necessitatem revelationis ad cognoscendum Deum atque res divinas. Sed hanc necessitatem repetunt tum generatim e defectibilitate et limitatione humanae naturae, tum specialiter, cum hominem scilicet lapsum respiciunt, e depravatione nostri cordis, ex eo quod instinctus religiosus peccato est hebetatus; preterea revelationem quam dicunt supernaturalem considerant veluti quoddam necessario debitum ex parte Dei supplementum revelationis naturalis. Vid. Сильвестръ, op. c. I, § 40—43, p. 272—284; Пятницкій. Введеніе въ Прав. Богословіе. Ставрополь 1893, § 11—12, p. 42—47; et alias theologias fundamentales.

[2]) De Verit., q. 17, a. 2.

Ex hisce sequitur, in quonam ex parte principii radix erroris lateat. In eo scilicet, quod ea, quae nonnisi de fine obiectivo in tota sua vi vigoreque sunt vera, russi transferunt in finem subiectivum. Atque cum de hoc agunt, praetermissa distinctione inter beatitudinem naturalem et supernaturalem, rursus ea, quae non possunt accipi nisi de illa, ad hanc quoque extendunt; verbo in eo, quod utramque beatitudinem confundunt et eodem naturalis exigentiae ordine complectuntur. Atque haec quantum ad principium.

Quod vero ipsum finem, quem ex suo principio russi deducunt, attinet, omissis ceteris, quae non sunt tanti momenti, solum finem quo seu subiectivum considerabimus.

Error russorum in eo hic consistit, quod non distinguunt inter finem naturalem et supernaturalem, atque beatitudinem, ad quam homo de facto destinatus est, ut ei congenitam connaturalemque considerant. Etenim cum russi de fine universi in genere agunt, ultimam bominis beatitudinem communi rerum naturae fini, ut vidimus in prolegomenis, includunt atque sub eadem communi, naturali, ordinaria relatione, quae Deo Creatori ac provido pariter ad rationales et irrationales creaturas est, comprehendunt. Hoc vero articulo, cum de fine hominis in specie quaerunt, eandem beatitudinem veluti ultimum ac necessarium naturae rationalis ac liberae postulatum considerant. Sed neque hic neque illic inter beatitudinem naturalem, quae homini, si in statu purae naturae relictus fuerit, vi ac iure naturae competierit, et supernaturalem, ad quam homo ex bonitate Dei de facto vocatus est, quae vero naturam et exigentiam

non modo hominis sed omnino omnis creaturae excedit, distinguunt; verum hanc ultimam eodem communi nomine finis ultimi complectuntur quem homini veluti connaturalem esse putant.

Subiciamus eorum doctrinam ulteriori analysi. Verum est quod dicunt in genere: ultimum hominis finem vi naturae non posse esse nisi «supraterrestrem», animam non posse esse beatam nisi possesso summo bono, nisi in unione cum Deo. Sed peccant cum non attendunt ad id, quod haec unio potest esse alia atque alia. Nam si sumamus id, quod summum beatitudinis est, ex quo cetera pendent, visionem scilicet seu cognitionem Dei in statu termini, ea potest esse vel abstractiva vel intuitiva [1].

Cum abstractiva cognitione sententia philosophorum anima non intueretur Deum nisi in seipsa tanquam in speculo h. e. mediate; cognitione intuitiva docente theologia videbit Eum facie ad faciem (1 Cor. 13, 12) h. e. immediate. Ibi anima cognosceret Deum potissimum per imaginem seu similitudinem quae in ipsa refulget; hic videbit Eum sicuti est (s. Joan. 3, 2) h. e. ipsam Eius essentiam. Sed cognoscere Deum per similitudinem creatam, non est videre Dei essentiam, quae supra omnia quae creata sunt est [2]. Porro

[1]) Cognitionem Dei quae ex fide est omittimus, cum hic de statu termini sit sermo.

[2]) S. Thomas tres ponit huius rei rationes: «Sed ex parte rei visae, quam necesse aliquo modo uniri videnti, per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest. — 1) Primo quidem, quia sicut dicit Dionysius: «Per similitudinem inferioris ordinis rerum, nullo modo superiora possunt cognosci»; sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeae. Multo igitur minus per speciem creatam quamcun-

quia abstractive anima potissimum per similitudinem, quae in ipsa resplendet, Deum cognosceret, haec autem similitudo non exprimit perfecte divinam essentiam, consequens esset, ut non cognosceret Deum nisi ex parte. Intuitiva vero cognitione videbit Eum totum: «tunc cognoscam sicut et cognitus sum» (1 Cor. 13, 12). Atque hoc est essentiale discrimen inter cognitionem abstractivam et intuitivam ex parte rei visae. Quantum ad potentiam visivam, cum ad cognitionem Dei abstractivam plane sufficeret lumen naturale, ad cognitionem intuitivam fieri non potest quin mens ascendat nisi confortata lumine gratiae seu gloriae, ut dicunt: «et in lumine tuo videbimus lumen» (Ps. 35, 10). Ut patet, ex parte potentiae necesse est etiam intuitiva Dei cognitio experiatur limites; quippe cum creata potentia finita sit, non potest comprehendere essentiam Dei, quantum cognoscibilis est; quapropter etsi videbimus Deum totum, sed non totaliter.

Collatis invicem abstracta et intuitiva Dei cognitione apparet, utriusque obiectum esse Infinitum, utramque esse cognitionem seu assecutionem summi Veri, utramque esse perfectam atque ultimam, sed in

que potest essentia Dei videri. 2) Quia essentia Dei est ipsum esse eius, quod nulli formae creatae competere potest. Non potest igitur aliqua forma creata esse similitudo repraesentans videnti Dei essentiam. 3) Quia divina essentia est aliquod incircumscriptum continens in se supereminenter quidquid potest significari vel intelligi ab intellectu creato. Et hoc nullo modo per aliquam speciem creatam repraesentari potest; quia omnis forma creata est determinata secundum aliquam rationem vel sapientiae, vel virtutis, vel ipsius esse, vel alicuius huiusmodi. Unde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere divinam essentiam non videri», 1, q. 12, a. 2.

alio atque alio ordine. Utramque dicimus ultimam, quia sicut intuitiva se habet ad fidem ita abstractiva se haberet ad intellectum naturalem: utraque tanquam ultimus actus; — utramque dicimus perfectam, quia utraque perfecte explebit vel expleret desiderium creaturae rationalis: abstractiva rationali ac legitimae exigentiae purae eius naturae satisfaciendo, intuitiva appetitum rationalem iam fide elevatum auctumque satiando; — ergo utraque in alio atque alio ordine: illa scilicet in naturali, haec in supranaturali.

Enimvero recta ratio docet solam abstractivam Dei cognitionem esse connaturalem intellectui creato; intuitiva vero est supra naturam non solum intellectus humani sed etiam omnino omnis intellectus creati, ut eadem recta ratio docet atque fides [1].

Posito hoc essentiali discrime in eo, quod beatitudinis summum est, ipsa quoque beatitudo seu ultimus hominis finis subiectivus necesse est, ut in naturalem et supernaturalem distinguatur. Quam distinctionem cum affirmamus, minime volumus dicere

---

[1]) S. Thomas 1, q. 12, a. 4 hanc dat rationem, cur essentia Dei sit supra conditionem cuiusque intellectus creati: «Cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicuius rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet, quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis... Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati, quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum. Non igitur potest intellectus Deum per essentiam videre».

alios homines ad alium ex hisce duobus finibus esse destinatos vel eundem hominem modo hunc finem modo illum, prout placet, eligere posse. Finis naturalis non est nisi hypotheticus, ut diximus. De facto finis, ad quem Deo placuit nos vocare, est solus supernaturalis, qui nobis omnibus est idem et unicus. Sed ex altera parte etsi de facto noster finis nonnisi supernaturalis sit, tamen non licet eum confundere cum fine, quem natura hominis in se considerata exigit, qui naturae humanae ut naturae debetur vi ipsius creationis [1]).

Russi vero nulla facta attentione alteram esse beatitudinem, quae homini vi atque exigentia naturae competit, et alteram ad quam possidendam Deus mere ex sua benevolentia hominem vocavit elevavitque, quae plane supra eius naturae conditionem est, — confuderunt finem hominis naturalem cum supernaturali.

Ex qua confusione haec mira quae in eorum doctrina conspicitur inconsequentia secuta est, ut finis ultimus non ponatur supra naturam hominis neque supra naturalem ejus capacitatem, aptitudinem seu sufficientiam (ut infra videbimus), ut is consideretur tamquam unice homini congruus et proportionatus; finis vero medius — evolutio scilicet et progressus, sine quibus finis ultimus attingi nequeat, e contra ut ponatur supra naturales hominis vires sibi solis sine gratia relictas, ut consideretur tanquam penitus capacitatem naturae excedens. Quo fit, ut in russorum

---

[1]) Praeclare et fuse de fine naturali et supernaturali: Kleutgen. Theologie der Vorzeit t. II. Münster, 1854. Abh. VI c. 5, n. 1, p. 125 sq.; — Scheeben. Natur und Gnade. Mainz, 1861.

systemate finis ultimus sit homini connaturalis, finis vero medius, quo ad ultimum est eundum, veluti supernaturalis.

Ex eadem confusione ulterius secuta est illa falsa, dixerim plane, baiana conceptio habitus seu relationis beatitudinis seu vitae aeternae ad hominis naturam, ad eius evolutionem et progressum atque ad bona opera: ut effectus, fructus ac mercedis quae ab homine propriis viribus sine gratia habituali, cooperante solummodo gratia actuali, acquiruntur [1]).

3. Post haec non est cur dicam, in quonam russi a catholicis differant respectu finis. Ut patet, maximum discrimen versatur circa finem ultimum subiectivum, internum. Qui si in se spectetur, vix aliquod discrimen maioris momenti inter utrosque est: utrique concedimus hominem vocatum esse ad beatitudinem aeternam, cuius culmen visio beatifica est. Sed cum de relatione huius finis ad naturam humanam agitur, toto coelo distamus utrique. Cum nos visionem Dei facialem extra et praeter ambitum non solum humanae sed etiam omnino omnis creatae naturae ponimus, russi eam ordini naturali includere atque ut obiectum naturalis exigentiae considerare videntur. Ideo cum catholici affirmant hominem ne ratione quidem assequi posse se ad visionem Dei destinatum esse, nisi ei a Deo sit revelatum; russi hanc destinationem altam e natura hominis deducere nituntur. Cum catholici visionem Dei finem hominis supernaturalem vocant atque stricte a beatitudine naturali distinguunt, russi hanc distinctionem non norunt atque,

---

[1]) Bai propositiones damnatae: 2, 3, 4, 5, 6. Denzinger. Enchiridion Symbolorum et Definitionum. 882–886.

quamvis visionem beatificam expresse non appellent homini connaturalem, re tamen detrahunt eam ad ordinem naturalem. «Gratia Dei vita aeterna» (Rom. 6, 23) iuxta catholicos, iuxta russos fructus, merces ac corona naturalium conatuum hominis adiuti sola gratia actuali.

Quae confusio russorum in concipiendo ultimo fine non est cur dicam quanti sit momenti in tota theologia; necessario ducit ad auferendum quoque discrimen inter utrumque ordinem: naturalem et supernaturalem; cui rei documento erunt capita quae sequuntur.

ARTICULUS III.

APTITUDO PRIMI HOMINIS AD SUAM DESTINATIONEM ADIMPLENDAM SEU PERFECTIO.

I. 1. Hoc articulo russi agunt de perfectione primi hominis, quam habuit, seu de conditione, in qua fuit, ut primum e manibus Dei prodiit. Quapropter hic articulus a nonnullis etiam inscribitur: «de statu originali» [1]).

2. Deducta articulo praecedenti ac determinata hominis destinatione, hoc articulo russi imprimis affirmant inter hanc destinationem et hominis naturam facultatesque quandam proportionem naturalem; qua

[1]) Бречкевичъ К. свящ. Записки по Правосл. Догматическ. Богословію. Елисаветградъ 1895. I, p. 195; — Рудаковъ А. П. Правосл. Догматическое Богословіе. Изд. 2, СПБ. 1894, § 40, p. 73.

et contineri dicunt hominis perfectionem. «Deus, inquit Macarius, destinando hominem ad tam altum finem, creavit quoque eum omnio aptum ad eundem assequendum hoc est perfectum» [1]). Et Tichvinski «primus homo, inquit, qua ad imaginem Dei creatus est, prodiit e manibus Creatoris natura sua perfectus h. e. plane correspondens (proportionatus) ei altae destinationi, ad quam creatus erat» [2]). Tichomirov vero ad quaestionem, habueritne primus homo sufficientes vires ad suam destinationem adimplendam? respondet: «Sapientissimus opifex non potuit permittere, quin improportio inter finem et media esset. Persuasum nobis est Eum, cum verum et bonum tanquam vitae finem hominibus ostendisset, simul et vires eis dedisse quae huic fini sufficerent» [3]).

Argumenta vero, quibus haec aptitudo probatur, tum e s. Scriptura sumuntur: «creavit Deus hominem ad imaginem suam» (Gen. 1, 27) et praecipue verba: «viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona» (Gen. 1, 31) [4]) — tum ex ratione: «ex idea sci-

---

[1]) Макарій, митроп. Московск. Православное Догматич. Богословіе. Изд. 5, СПБ. 1895, I, § 84, p. 463; conf. Бречкевичъ, op. c. I, p. 195.

[2]) Тихвинскій Н. протоіер. Чтенія по Прав. Христ. Богословію. Ярославль 1895, II, чтн. 10, p. 123; conf. Сильвестръ, епископъ. Опытъ Прав. Догм. Богословія. Изд. 2. Кіевъ 1889, III, § 56, p. 402. Успенскій Ев. Обличительн. Богословіе.Изд. 2, СПБ. 1894. p. 36, 39; Перовъ Ив. Руководство къ Обличительному Богословію. Изд. 4. Рязань 1897, p. 139; et alii.

[3]) Тихомировъ Дм. Ал. Курсъ Основн. Богословія. Изд. 2. СПБ. 1897, p. 98—99.

[4]) Макарій. Богослов. I, § 84, p. 463; Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 402; etc. Nonnulli hic citant etiam Ps. 8, 6: «minuisti eum paulo minus ab angelis» et Sirach c. 17, quamquam hunc librum ad non inspirata scripta relegant.

licet Dei sicut entis infinite sapientis, qui, nullo modo fieri potest, quin aliquem procreet, qui imperfectus sit h. e. suo fini insufficiens» [1]. «Secundum Ecclesiae orthodoxae doctrinam, inquit Lebedev, Adam factus est perfectus quantum ad animam et quantum ad corpus, sicut et oportuit; quia e manibus Dei non potuit prodire creatura imperfecta» [2].

Itaque esse perfectum et natura sua plane correspondere seu sufficere suae altae destinationi et omnino aptum esse ad eandem sunt apud russos synonima respectu primi hominis.

Itaque sicut praecedenti articulo e natura hominis eius altam destinationem deducebant, ita hoc articulo eidem naturae tribuunt plenam aptitudinem seu sufficientiam ad hanc destinationem adimplendam.

Ex quibus efficitur, in quonam russi sub hoc respectu a catholicis recedant. Cum hi non dant naturae humanae, ut naturae, nisi aptitudinem negative sumptam — sensu non repugnantiae, ut creatura rationalis a Deo elevetur atque virtute supernaturali par reddatur tanto fini; illi vocem aptitudinis sumunt positive — sensu sufficientiae ita, ut homo aptus esse intelligatur, qui iam propriis viribus ad tantum finem tendat. Error in eo est, quod russi naturae humanae respectu visionis beatificae id tribuunt, quod non potest affirmari nisi respectu habito beatitudinis merae naturalis.

---

[1] Макарій. Богосл. I, § 84, p. 464.

[2] Лебедевъ Ал. протоіер. Разности Церквей Восточной и Западной въ ученіи о Пресв. Дѣвѣ Маріи Богородицѣ. Варшава 1881, p. 160.

3. Posita inter naturam primi hominis et eius altam destinationem proportione, quaerunt russi ulterius, quae fuerit primi hominis perfectio in se?

Primum hic occurrunt nobis iam directae contra catholicos obiectiones.

Alii exprobrant catholicis eos primi parentis perfectionem nimis extollere, «ei iustitiam seu plenam quandam omniperfectionem tribuere adeo, ut iam suae vitae terminum is plane attigisse intelligatur», ut Uspenski[1]).

Alii econtra dicunt catholicos primi hominis perfectionem nimis deprimere, ut Svietlov[2]) — «non dare primo parenti nisi ordinariam quandam sapientiam et sanctitatem», ut Seredinski[3]).

Itaque quod alii affirmant, alii negant.

Quarum obiectionum si quis rationem quaerat, nescio an ullam inveniat praeter id, quod neutri, ut par est, cum theologia catholica familiares sunt. Alteri enim impugnant catholicos falsa illa ducti opinione: eos in primo homine absolutam quandam perfectionem

---

[1]) Успенскій Ев. op. c. p. 36—37; 37—38. «По ея (romanae ecclesiae) ученію, первый человѣкъ обладалъ праведностію или полнымъ всесовершенствомъ, понимаемымъ въ смыслѣ окончательнаго осуществленія человѣкомъ цѣлей своего бытія». Ulterius idem omni fundamento destitutam appellat atque impugnat hanc doctrinam catechismi catholici, qui in Rossia in scholis in usu est: «Primus homo neque scholis neque libris neque magistris opus habuit». Alii eandem obiectionem de primi hominis omniperfectione protestantibus faciunt; vgr. Свѣтловъ П. Я. свящ. Опытъ Апологетическаго Изложенія Правосл. Христіан. Вѣроученія. Кіевъ 1898, II, § 39, p. 48—50 sq.

[2]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 52.

[3]) Серединскій Т. протоіер. Сводная Таблица Христіан. Вѣроисповѣданій и Сектъ. Рига 1890, p. 24.

ponere, quae soli Deo vel beatis, qui iam in termin[illegible]o suae viae sunt, tribui potest. Alteri vero e praeco[illegible]n-cepta illa opinione catholicos in pelagianismum i[illegible] incidisse concludunt necesse esse, ut ei perfectione[illegible]en quoque primi hominis depresserint [1].

Si tamen alterutri catholicos theologos consule[illegible]e voluerint, nullo negotio perspexerint tantum abess[illegible]ss ut catholici protoparentum perfectionem depriment[illegible]er ut eam assererent et quidem eximiam; — non tame[illegible]me absolutam, quae soli Deo competit, neque omnino te[illegible] ter minatam, quae angelorum beatorumque est, sed omne[illegible]en eam, quam primi hominis conditio ferre potuit [illegible] et quam Deo placuit dare [2]. — Atque haec de obie[illegible]ec tionibus.

4. Cum russi positive procedunt, determina[illegible]nt quae fuerit perfectio primi hominis tum in gene[illegible]re tum in specie.

Perfectionem primi hominis in genere commu[illegible]i-ter vocant altam seu magnam, sicut et destinationem vocabant.

Duo sunt in quibus fere omnes conveniunt. Ex une parte omnes protoparentibus denegant perfectionem summam, terminatam, firmatam; ex altera parte perfectionem, quae illis inerat, reducunt ad germen,

[1] Vide quae diximus supra cap. II, p. 46—49. Fortasse cum hanc obiectionem faciunt, russi in animo habent primi hominis naturam, ut naturam; cui certo plus tribuunt quam catholici: veluti immunitatum a concupiscentia, a morbis doloribusque etc., ut ex eis quae sequuntur patebit.

[2] S. Thomas. 1, q. 94, a. 3; 2, 2, q. 5, a. 1: »diximus quod homo et angelus creati sunt cum dono gratiae, ideo necesse est dicere quod per gratiam acceptam et nondum consumatum fuerit in eis inchoatio quaedam speratae beatitudinis».

ad meram potentiam sese evolvendi. «Primus homo, inquit Silvester, prodiit e manibus Dei natura sua perfectus hoc est ita constitutus, ut plane alto illi, ad quem conditus erat, responderet fini. Quae eius perfectio, sicut primo exordio et angelorum perfectio, non erat absoluta, independens, per se subsistens; haec enim soli Deo competit; — sed erat tantummodo conditionata seu relativa. Sed etiam hoc sensu accepta non erat illa perfectio plena, nam erat tantummodo in futuro possibilis, ad quam homo destinatus erat ut tenderet (Matth. 5, 18); actu erat illa in germine tantummodo, quod futurum erat ut postea explicaretur ac maturesceret» [1]. «Status Adae non erat status perfectionis absolutae quae solius Dei est, sed solummodo perfectionis relativae, quae in maioris vel minoris perfectionis attingendae potentia consistebat» [2].

Hanc Silvestri doctrinam recentiores theologi suam faciunt atque ut plurimum verbotenus repetunt [3].

In quonam istud perfectionis germen constiterit, hisce explicat Tichomirow: «Primus homo erat per-

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 409: «Но совершенство его природы... не было безусловнымъ или самобытнымъ совершенствомъ, принадлежащимъ одному только Богу, не было также и полнымъ совершенствомъ въ смыслѣ условномъ, потому что оно было только возможнымъ будущимъ, къ которому предназначенъ былъ стремиться человѣкъ (Мат. 5, 48) на самомъ же дѣлѣ находилось только въ состояніи зародыша, имѣвшаго развиться и созрѣть только впослѣдствіи».

[2]) Сильвестръ, op. c. III, § 57, p. 409.

[3]) Пятницкій Ив. Введеніе въ Прав. Богословіе. Ставрополь 1898, § 34, p. 127—128; Бречкевичъ, op. c. I, p. 219; Перовъ,

fectus; verum nullatenus volumus asserere eum varias ac diversas scientias possedisse, magnas virtutes perpetrasse, eum fuisse doctum et virtutibus ornatum communi hujus vocis significatione; sed solummodo exprimimus eum magnas mentis, affectus et libertatis accepisse **vires**, in **quibus sicut in germine omnes** divitiae illius, quae subsequi debuit evolutionis continebantur; quae **vires** plane **sufficiebant**, ut homo illud specimen, quod a Christo praestitutum est, assequi posset: «Estote ergo vos perfecti sicut et pater vester coelestis perfectus est». (Matth. 5, 48[1]).

---

op. c. p. 139—140; Успенскій, op. c. p, 36, 39—40 etc. — Graeci idem sentire videntur: vid. Δάμαλας. Περι 'Αρχων. 'Εν Λειψία, 1865, p. 66, 68—69; — Gass. W. Symbolik der griechischen Kirche. Berlin, 1872, § 54, p. 156—158. — Ex theologis, quos prae manibus habemus, solus Antonius archim. alterius esse sententiae videtur. (Антоній, архим. Догматич. Богословіе. Изд. 8. СПБ. 1862) Is aperte docet «Deum largitum esse homini certa iura et privilegia praeter ea quibus eum in ipsa creatione donavisset» (§ 126, p. 113); «Adamum a Deo creatum esse non solum conditione purum et incorruptum, sedetiam vestitum esse perfectionibus positivis atque realibus» (§ 129, p. 115) aliqua scientia et virtutibus; sed et ipse Antonius denegat Adamo plenam mentis evolutionem sive omnem scientiam, pariter et omnem sanctitatem, sed solummodo **naturalem rectitudinem atque innocentiam** ei dat atque quasdam positivas virtutes; quae cuius nam generis sint, non dicit. Quidquid est, dat tamen homini aliquam positivam perfectionem quae ei divinitus praeter naturam largitur. Hic potest citari aliqualiter etiam Никитскій Серг. Вѣра Прав. Восточн. Греко-Россійской Церкви по ея Символическимъ книгамъ. Москва. 1890, II, p. 31—32, adnot. qui aliquam positivam perfectionem moralem videtur homini tribuere. Sed hic auctor non est tanti, rem enim ex professo non tractat.

[1]) Тихомировъ Дм. А. прот. Курсъ Основн. Богословія. Изд. 2. 1897, p. 14. — Mirum quantum haec sententia doctrinae

Adhuc ulterius progreditur Svietlov: «Homo, inquit, creatus est a Deo perfectus» [1]; «quae perfectio minime debet accipi ut iam terminata, absoluta, nullius progressus indigua» [2]. «Scriptura sacra depingit nobis primos homines aliis characteribus: non characteribus qui finitae maturitatis sunt, sed qui aetati infantili conveniunt, quae evolutione indiget. Sic Scriptura s. tribuit eis inscientiam mali, imperitiam, innocentiam seu absentiam pudoris. Infantiles eorum characteres apparent quoque e lapsus historia: veluti credulitas Evae, curiositas ceteraque. Biblia igitur docet primos homines opus habuisse, ut perficerentur» [3].

Hirscherii similis est: «Denn die hl. Schrift stellt den ersten Menschen wohl mit der herrlichsten und unversehrtesten, sowohl leiblichen als geistigen Anlage ausgestattet vor; aber sie beschreibt uns denselben als der Entwicklung bedürftig und in seiner Ausbildung begriffen, keineswegs als bereits angebildet und als vollkommen, weder in der Weisheit der Erkenntniss, noch des Lebens». Kleutgen, Jos. S. J. Die Theologie der Vorzeit II, B. Münster, 1854. Abth. 9, c. 1, n. 2, p. 505 sq. Quapropter si quis refutationem huius sententiae desiderat remittimus ad Kleutgen opus.

[1]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 46.

[2]) Id. l. c. p. 48.

[3]) Id. l. c. p. 50. — Et haec Svietlov sententia valde similis est Hirscherii sententiae: «Zwar war sein Geist (Adami) und Herz vom höchsten Werthe und überaus liebenswürdig: weil alles Bösen, ja auch allen Gelüstens nach demselben unkundig, und eine höchst herrliche Entwicklung in sich bergend; aber ausgebildet war weder dieses noch jenes. Der Mensch sollte erst von Gott erzogen werden. Infans enim fuit, sagt der hl. Irenäus». Kleutgen l. c. p. 506 sq. Ulterius Hirscher loquitur de necessitate divinae educationis et de progressu primi hominis, similiter et Svietlov. Fusius de hoc statu infantili postea agemus appendicis instar, cum haec opinio nondum communis sit apud russos.

Svietlov igitur Adamum et Evam reducit ad conditionem infantilem.

Itaque cum catholici in primo homine actu ponunt eximiam perfectionem etiam naturalem, quae a nobis nonnisi propria acquiritur industria et inventione, quae vero illis infusione communicata est [1]); russi non dant primo homini nisi solam potentiam hujus perfectionis attingendae.

5. Determinata primi hominis perfectione in genere, russi procedunt ad inquirendam eandem in specie tum quantum ad animam tum quantum ad corpus.

Quantum ad animam proceditur secundum tres hominis potentias: intellectum, voluntatem, affectum seu cor [2]).

Quod intellectum attinet, ex una parte denegatur primo homini scientia omniperfecta, summa, terminata, nullius progressus capax; ex altera parte conceditur primum hominem admodum bene dispositum, aptum fuisse, qui magnam scientiam acquireret; eum magno praeditum fuisse ingenio: perspicaci, facili ad percipiendum et retinendum... Ipsa vero scientia ut terminus tantummodo ponitur, ad quem homo sese evolvendo ac perficiendo tendere debuit propriis viribus adiuvante Deo.

«Ceterum, inquit Macarius, sapientia Adae minime veluti omniperfecta, quae soli Deo competit,

---

[1]) Mazzella, card. De Deo Creante. Ed. 4. Romae 1896, n. 783 sq., p. 572 sq.; n. 801, p. 581 sq.

[2]) Vgr. vide Бречкевичъ, op. c. 195—197; — Филаретъ Черниг. Прав. Догматич. Богословіе. Изд. 3. СПБ. 1882, I, § 128, p. 196—197. — De istis vero tribus potentiis confer quae supra diximus p. 69.

cogitatari debet; primus homo erat sine dubio mente pura, clara, sana, omnis praeconceptae opinionis et aberrationis experti; res maxima cum facilitate potuit ille cognoscere. Sed simul eius mens erat limitata, quae neque comprehendere simul omnia neque perspicere potuit; cui rei documento est tempus lapsus (Gen. 1, 3). Intellectus igitur eius magis magisque evolvi ac perfici debuit» [1]. «Mens protoparentis, inquit Brečkevič, erat magna magis potentia discendi multas res, quam actuali multarum rerum scientia. Qua erat mente limitata, primo homini opus erat tempore et occupatione ad eandem evolvendam. Scriptura s. tantum abest, ut Adamum perfectum sapientem appellet, ut etiam dicat eum serpentis astutia seductum esse (2 Cor. 11, 3); sequitur ergo, ut eius mens simplex fuerit et imperita» [2]. «Primus homo fuisse mente nondum matura» dicitur [3]. «Ille, inquit Lebedev, nondum erat in possessione scientiae, sed talem virium cognitivarum perfectionem possidebat, ut res sine difficultate cognosceret atque eius cognitio rerum veritati corresponderet; quapropter futurum erat, ut eius cognitionem sequeretur sensus satisfactionis, laetitiae, beatitudinis» [4]. «Adam erat perfectus (scl. mente) eo sensu, quod amplis facultatibus viribusque praeditus erat, sed practicam scientiam... nondum acquisierat» [5].

---

[1]) Макарій. Богословіе II, § 84, p. 464—465.

[2]) Бречкевичъ, op. c. I, p. 196; eadem docet Филаретъ Черн. op. c. I, § 128, p. 197.

[3]) Филаретъ Черн. op. c. I, § 134, p. 206; Свѣтловъ, op. c II, § 39, p. 56.

[4]) Лебедевъ Ал. op. c. p. 160.

[5]) Успенскій Ев. op. c. p. 39.

Itaque cum catholici in primo homine eximiam ponunt scientiam, russi actu nullam ei tribuunt; cum catholici primi hominis scientiam e Dei infusione repetunt, russi totam propriae hominis industriae atque inventioni adiuvante Deo acquirendam relinquunt [1]).

Argumento, quanta Adam mentis vi, perspicacitate atque sagacitate fuerit, afferunt praecipue factum, quod nomina animalibus indidit. «Eius mens, inquit Rudakov, quamquam nondum erat scientiis dives, tamen cum claritate et facilitate res, quae eum circumdabant, cognoscebat, ut patet ex eo, quod Adam nomina animalibus imposuit» [2]).

Alii etiam alia ad depingendam Adae mentis sagacitatem addunt argumenta; quae omnia Philaretes plus minusve ita paucis complectitur: Qui fuerit status mentis primi hominis inferri potest ex eo, quod ille animalibus nomina imposuit, quod mulieris originem perspexit, quod etiam post lapsum Dei vocem audire poterat. Quod animalibus nomina indidit, id facere non potuisset, nisi aptus esset, qui res rerumque naturam ac proprietates perspiceret cognosceret-

---

[1]) Ceterum quod scientiam Adae spectat. russi magis negative loquuntur: excludendo omnem scientiam. Sub hoc respectu conspicitur apud eos quaedam vacillatio, timiditas quaedam suum sensum aperiendi. Quidam videntur tribuere Adae scientiam quandam, etiam adscribunt aliquando Adae magnam sapientiam; veluti: Макарій. Богосл. I, § 84, p. 464; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 195—196. Филаретъ Черн. op. c. I, § 128, p. 197. Sed re bene perspecta apparet eos sumere vocem sapientiae sensu alti status mentis, sensu naturalis mentis Adae s a g a c i t a t i s.

[2]) Рудаковъ, А. К. Прав. Догмат. Богосл. Изд. 2. СПБ. 1894, § 40, p. 73.

que, nisi res a rebus discernere atque propriis conceptis congrua invenire nomina valuisset; haec autem et cognoscendi iudicandique vim et naturae scientiam in eo supponunt; illa igitur nominum impositio indubium est documentum Adae sapientiae. «Quod mulieris originem attinet, prosequitur Philaretes, quia Moyses non dicit Adamum eam cognitam habuisse ex inspiratione divina, relinquitur, ut ille, cum primum suam uxorem aspexit, similitudinem quoque, quae inter se et illam intercederet, perspexerit atque exinde eius originem intulerit; quippe cum illum in hac sententia et ea, quam vive experiebatur, adiutricis necessitas confirmaret». Quod ultimum attinet, si Adam etiam post lapsum Dei vocem discernere potuit, multo magis antea [1]). Hisce etiam alia quaedam Macarius adicit, quae tanquam attentione digna notat: a) «nomina, quae Adam indiderat animalibus, Deus confirmavit, quin immutaret, ergo ut bona, ut ea, quae diversorum animantium naturae aut saltem principalibus proprietatibus corresponderent, agnovit, b) haec nomina Adam invenit statim, ubi primum animalia quae nominanda erant aspexit, non vero postquam longo studio ac disciplina eorum proprietates assecutus est» [2]).

Alii tamen haec argumenta reicere videntur aut saltem alio modo interpretantur, velut Svietlov qui ut in ceteris ita et hic ultra quam alii procedit. Is tanquam auctorem fautoremque suae sen-

---

[1]) Филаретъ Черн. op. c. I, § 128, p. 196—197; fere ad verbum eadem repetit Бречкевичъ, op. c. I, p. 195—196; vid. Титовъ Георг. протоіер. Уроки по Простран. Христіан. Катихизису. 2 изд. СПБ. 1889, I, урокъ 17, p. 180.

[2]) Макарій. Богосл. I, § 84, p. 464.

tentiae allegat Innocentium archiep. Chersonensem [1] cuius opinionem hisce refert verbis: «Innocentius, inquit ille, subicit crisi argumenta, quae ad probandam superhumanam illam atque extraordinariam Adae sapientiam sumuntur. Ut argumentum huius rei communiter affertur, quod Adam imposuerat animalibus nomina, quae Deus probavit. Sed per hoc Deus solummodo occasionem exercendae mentis Adamo dedit; ex quo patet Adamum opus habuisse ut sua mens evolveretur; Deus cupiens, «ut videret quid vocaret ea Adam» (Gen. 9, 19) adamussim personam paedagogi gerit, qui vult suum discipulum probare. Ceterum e nullo scripturae textu patet hanc denominationem factam esse in instanti expressisseque rerum essentiam. Quod uxoris originem cognovit eique nomen dedit, id provenire potuit tum e visione, quam Adam in somno habuit; quae visio Adae patefecit, quid cum eo et super eo factum esset; tum e vago quodam quem habuit sensu eorum quae tempore ipsius actionis fiebant. Ulterius ex analisi lapsus protoparentum monstrat Innocentius infantilem eorum mentis indolem. Itaque Scriptura s. non exhibet nobis protoparentes cum innata sapientia, quae etiam humanae cognitionis naturae contraria est; quia providus Deus ita constituit hominem, ut sensim ac pedetentim acquireret scientias: repente sapientiam ei dare et experientiam impossibile est» [2]). «Oportet dicere, inquit ultimo Svietlov, hanc quae-

[1]) Archiep. Innocentius suam sententiam expressit in opere, quod invenitur in »Сборпикъ лекцій профессоровъ Кіев. Духовн. Академін, Кіевъ, 1869».

[2]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 57—58.

stionem apud nullum nostrae literaturae theologum tam clare ac perspicue, sine ullis circumlocutionibus ac reticentiis esse solutam, sicut apud archiep. Innocentium; qui oppositam sententiam sequuntur, vix huic opinioni cum aliquo successu felici sese opponere poterunt» [1]).

Profecto si russorum principia sumantur, Svietlov et Innocentius magis sibi constare videntur; quamquam alterutri verbis potius inter se pugnant quam re ipsa. Etenim et Philaretes et qui eiusdem cum eo sunt opinionis aliis locis scientiam et sapientiam Adami ad meram potentiam reducunt, mentem Adae immaturam fuisse declarant; ex altera vero parte et Svietlov hoc factum impositionis nominum aliis locis affert ad probandam intellectus Adami perfectionem. Res in eo est, quod neutri vocem sapientiae vel scientiae eo sumunt sensu, quo nos catholici respectu primi hominis usurpamus; sed solummodo sensu vel sagacitatis mentis, vel processus cognoscendi. «Alta mentis sagacitas, inquit Roždestvenski, primi hominis sese prodidit, cum animalibus nomina imponeret» [2]). «Ad cognoscendam mentis Adami indolem servit narratio biblica, quomodo Deus ad Adam animalia adduxerit et quomodo hic eis nomina imposuerit. Verbum percipi non potest sine conceptu, quam ob rem appellatione rei iam praecontinetur conceptus eiusdem; sed Adam antequam rei conceptum acquireret, rei cognitionis processum transiret oportuit. Si Adam ani-

---

[1]) Id. op. c. pag. 58.

[2]) Рождественскій Н. П. Христіанская Апологетика. Курсъ Основн. Богословія. Изд. 2. СПБ. 1893. II, p. 288.

malibus nomina imposuit et Deus eadem approbavit, signum est Adamum fuisse mente observatrice, forti, vivida»[1]. Ceterum utrique factum impositionis nominum proprie et primario allegant ad probanda tum factum tum necessitatem divini paedagogatus respectu primi hominis[2]. Si utrique quidquam differunt, in eo dixerim, quod cum Svietlov et Innocentius iam directe negant vel ipsam possibilitatem scientiae infusae, ex Philaretis ceterorumque principiis id non sequitur nisi indirecte.

6. Quantum ad voluntatem, eius perfectio in eo constitisse dicitur, quod non solum sine peccato ac defectu seu quod pura, innocens, recta esset, sed etiam quod iam ad sanctitatem et iustitiam ferretur seu quod esset in bonum inclinata. Sed ipsa virtus, sanctitas, iustitia, bonum erant acquirenda solummodo, constituebant solummodo finem, ad quem homo toto vitae suae cursu tendere debuit propriis viribus adiuvante gratia Dei.

«Voluntas primi hominis, inquit Philaretes, non solum a defectibus (alii dicunt: a peccato, a malo)

---

[1] Свѣтловъ. op. c. II. § 39, p. 47. — Haec exempla indicio nobis possunt esse, quomodo russi cum Scriptura sacra et ss. patribus doctrinam suam componant? Verba relinquunt intacta atque citant, sed aliam eis significationem quae scilicet suis conveniat principiis tribuunt.

[2] Factum impositionis nominum russi bis allegant: et hoc capite, et cum de relatione Dei providentis ad primum hominem agunt; sed alia atque alia ratione. Hic afferunt illud ad monstrandam vim mentis atque sagacitatem primi hominis; ibi ad ostendendum, quomodo Deus providens primum hominem instruat atque educet? Ita ut hoc capite tota vis ponatur in verbis: «et imposuit animalibus nomina», ibi in verbis: «et adduxit Deus ad eum animalia».

immunis erat, sed etiam ad sanctitatem et iustitiam ferebatur... Qui status erat innocentiae tantummodo; virtus vero acquirenda erat voluntatem in bono exercitando» [1]). Pariter et Silvester bonum morale vocat nonnisi finem primi hominis, cuius assecutio nonnisi in futuro possibilis erat [2]). «Status ille puritatis et ἀναμαρτησίας (безгрѣшности) erat potius status nescientiae peccati atque ab eodem abalienationis, quae primo tempore homini naturalia erant; sed, ut per se patet, sicut plena conscientia, quam perniciosum funestumque esset peccatum, ita et certa firmaque id vitandi determinatio primo homini deerant» [3]).

Sicut in ceteris ita et hic Svetlov progreditur ulterius. Is negat contra protestantes primum hominem statim in creatione omnem iam perfectionem moralem accepisse. Quod ita probat: «E protestantium mente virtus apparet ut alliquid, quod mere mechanico modo ab extra communicatum est. Sed perfectiones morales e natura sua non possunt cogitari ut donum quoddam externum. Eae sunt fructus activitatis ipsius hominis, sine propria hominis opera virtus impossibilis est. Recta virtutis definitio haec est: virtus est firma humanae voluntatis quae exercitio assecuta est ad bonum tendentia. Si affirmaretur

---

[1]) Филаретъ Черн. op. c. I, § 129, p. 198; — Бречкевичъ. op. c. I, p. 196; — Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 47; — Катихизисъ ч. 1, о 3 чл., p. 29: «Deus cum crearet hominem, e bonitate sua dedit ei voluntatem, quae naturaliter ad amandum Deum disposita erat sed simul et libera; et homo ad malum usus est hac libertate».

[2]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 403; conf. Пятницкій. op. c. § 34, p. 128.

[3]) Сильвестръ, op. c. III, § 57, p. 414.

primos homines propria opera ad sanctitatem pervenisse, id etiam intelligi posset; sed protestante affirmant primos homines e manibus Dei prodiisse perfectos, moraliter maturos. Praeterea ad perfectionem assequendam requiritur tempus; primi autem homines iuxta sat communem traditionem statim expulsi sunt» [1]. Itaque auctor negat fieri posse, ut virtus a Deo infundi possit. Immo vero ulterius progreditur atque repetitis vicibus negat primos parentes intellexisse, qnid bonum esset et quid malum [2]. Quod si ita sit, neque fieri potuit, quin aliquam possederint virtutem, praeter illam, quam auctor eis tribuit, «innocentiam infantilem seu mali nescientiam» [3].

Argumento suae doctrinae de perfectione voluntatis Adami russi allegant tum factum, quod inordinati voluntatis motus solum postea propter transgressum mandatum exorti sunt (Gen. 3, 10, 11), tum verba: «Solummodo haec inveni, quod fecerit Deus hominem rectum» (Ecltes. 7, 30) [4]. «Ceterum, inquit Macarius, haec rectitudo protoparentum, quam Ecclesia continuo confitebatur, minime sic intelligi debet, ut si illi statim ab initio omnes virtutes iam

---

1) Свѣтлаовъ, op. c. II, § 39, p. 49—50.

2) Ibid. pag. 50, 51, 56—57; — Ceterum notamus hanc opinionem esse solius Svietlov, ut videtur; inveniuntur etiam apud alios quosdam aliqua huius doctrinae indicia; sed fere omnes theologi eique gravissimi negant Adamum ignorasse, quid bonum esset et quid malum. De hac re fusius postea cum de arbore scientiae agemus.

3) Ibid. 51, 55—57; de hac re fusius postea, cum de nominibus status originalis loquemur.

4) Макарій. Богосл. I, § 84, p. 465; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 196; — Титовъ, op. c. I, урк. 17, p. 180; etc.

possederint neque fuerit quidquam, in quo perficerentur; minime ita: quanquam Adam et Eva puri et sine peccato e manibus Dei prodierunt, sed etiam oportuit, ut in bono firmarentur ac perficerentur propria industria adiuvante Deo»[1]. Itaque rectitudo illa, quae ceterum passim naturalis primi hominis qualitas vocatur[2], sensu carentiae culpae sumitur, non vero sensu positivae virtutis.

Ex hisce efficitur, in quonam potissimum russi recedant a catholicis? Cum hi dant homini primo sanctitatem positivam, illi nonnisi negativam: carentiam a macula peccati. Cum catholici communiter affirmant primum hominem aliqualiter omnes virtutes a Deo infusas accepisse; russi omnem virtutem hominis libero proposito acquirendam relinquunt.

7. Quod cor protoparentum spectat, illud erat purum, nulla re turbatum; quapropter plena cum libertate ad summum bonum ferri poterat ac ferebatur. Altus status moralis protoparentum affectus apparet ex eo, quod «erat uterque nudus et non erubescebant» (Gen. 2, 28).

«Pudor est sensum illius defectus, quem in nostra propria perfectione perspicimus, praecipue sensum inordinati appetitus, qui animum nostrum offendit laeditque. Ex quo sequitur, ut primi parentes non eruberint cum nullos defectus, nullos inordinatae sensualitatis motus experirentur. Eorum affectus pacato placidoque statu respectu omnis incommodi atque

---

[1]) Макарій Богосл. I, § 84, p. 465.

[2]) Vgr. Филаретъ Чер. op. c. I, § 129, p. 198; — etiam Антоній, op. c. § 129, p. 115.

molestiae erat; respectu vero bonorum, quibus a suo Creatore cummulati erant, experiebantur illi in corde suo continuam gratamque laetitiam» — sic Philaretes Čern. et Brečkevič [1]. Lebedev vero qui simul de perfectione et voluntatis et affectus agit, haec dicit de utroque: «Ille (Adam scilicet ubi e manibus Dei prodiit) nondum potiebatur morali experientia, nondum malum suspicabatur malum, erat innocens; sed ille potiebatur perfecto affectu et voluntate. Eius affectus erat purus, a quacumque cupiditate, affectione, praedispositione immunis; libera eius voluntas quanquam nondum firmata erat in bono, verum neque quibuscunque, quae eam in diversas traherent partes, inclinationibus gravata. Quamobrem homo faciliter, libere ac totaliter Dei amori, ergo et beatitudini poterat se dedere. Integritas, unitas, naturae harmonia pariter et innocentia in eis, quae moralem statum spectant, sunt naturales protoparentum perfectiones» [2]. Svietlov hanc affectus praerogativam: quod non erubescebant, simpliciter absentiam pudoris vocat; quomodo hoc intelligendum sit, non dicit [3]; sed ex eius verbis, quae de voluntatis perfectione citavimus, iam inferri potest.

Itaque russi id videntur primo homini tribuere, quod aliqualiter nostrae integritati simile est. Sed eam cum absentia pudoris confundere videntur; atque

---

[1]) Филаретъ Черн. op. c. I, § 129, p. 198; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 196—197.

[2]) Лебедевъ. A. op. c. 160—161; et alii theoligi non semper distinguunt perfectionem voluntatis a perfectione affectus, sed saepe de utraque simul agunt: vgr. Макарій. Богословіе. I, § 84, p. 465.

[3]) Свѣтловъ, op. c. § 39. p. 50 sq. conf. supra p. 107—108.

non repetunt nisi e naturali quadam defectuum absentia. Quapropter illa integritas nihil aliud est nisi quidam ex ipsa humanae naturae constitutione exurgens pacatus ac pacificus omnium hominis virium status, quem communiter virium harmoniam vocant [1]. Certum est russos huic harmoniae immunitatem quoque a concupiscentia includere. Etenim cum de sequelis peccati originalis agunt, concupiscentiam dicunt abominabilem in oculis Dei, peccatum [2]. Primus autem homo prodiit e manibus Dei sine peccato, ergo et sine concupiscentia.

Iuxta theologos catholicos donum integritatis non consistit in carentia ipsius potentiae, prout simpliciter est vis tendendi in bonum sensibile; neque in carentia actuum, qui cum perfecto ordine ad rationem in illud tendunt. Sed illud donum consistit in exemptione a motibus appetitus sensitivi, qui ad malum inclinant vel a bono retardant; quatenus rationis imperium praeveniunt vel eidem resistunt. Illud donum non solum actuale est sed etiam habituale, homo enim eo instructus non modo ab illis motibus inordinatis liber erat, sed habebat insuper dispositionem, qua appetitus sensitivus voluntatis imperio subdebatur [3]; in eo

---

[1]) Трусковскій Н. Руководство къ Обличит. Богосл. Изд. 2. Могилевъ на Днѣпрѣ. 1889, p. 31; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 126; Перовъ. op. c. p. 49; etc.

[2]) Филаретъ Черн. op. c. I, § 129, adnot. 59;— Лебедевъ А. op. c. p. 171; — Polemistae passim affirmant primum hominem immunem a concupiscentia fuisse vi naturae suae: Епифановичъ, op. c. p. 34 sq., Трусковскій, op. c. p. 30 et ceteri; — ceterum hoc iam ad tractatum de peccato originali spectat.

[3]) Mazzella. De Deo Creante n. 724, p. 533 sq.

constabat illud donum quod ratio erat subiecta Deo, rationi vires inferiores, animae corpus.

Sed maximum discrimen hac in re inter russos et catholicos in eo consistit, quod cum hi mirabile illud integritatis privilegium ut donum Dei naturae superadditum, ut gratiam considerant, russi ut naturalem naturaeque plane debitam qualitatem; quapropter cum catholici repetunt hoc donum ex speciali Dei beneficio, russi ex naturali defectuum in primo parente absentia.

Atque haec fuit perfectio primi hominis quantum ad animam.

8. Sed primus homo prodiit e manibus Dei etiam corpore perfectus. Conditio eius quantum ad corpus eius conditioni quantum ad animam dicitur fuisse accomodata. Sub hoc respectu tribuitur primo parenti immunitas a morbis doloribusque. «Nullum dubium, inquit Macarius, quin corpus Adae, prout infinite sapientis Dei opus, ob mirabilem, quam et nunc conservat structuram, nullos defectus neque intrinsecus neque extrinsecus a Creatore acceperit atque, quippe quod virtute (h. e. robore) esset vestitum (Sirach 17, 3) viribus integris et incorruptis fnerit; neque ullam perturbationem affectuum illud experiebatur. Sequebatur igitur, ut eius corpus ab omni morbo ac dolore immune esset; quapropter morbi et dolores exhibentur a Moyse ut sequelae peccati et poena» [1]. Pariter et Brečkevič: «Sive intrinsecus, inquit, primus homo, sive extrinsecus consideratur, nulla aderat causa, quae in eius organismum destructive ageret. Intrinsecus, cum nullis cupiditatum motibus turbarbaretur, non experiebatur

---

[1]) Макарій. Богосл. I, § 84, p. 465.

lle nisi profundam pacem plenamque tranquillitatem; xtrinsecus vero, cum omnia mundi elementa in plena harmonia concentuque essent, non poterant in eum xercere nisi operationem beatificam» [1]).

Itaque sicut ex idea Dei infinite sapientis russi concludunt hominem ipsa natura fuisse plane aptum ad suum finem assequendum atque perfectum; tum ex hoc inferunt eum ab omni quoque defectu, ergo et a concupiscentia immunem fuisse; atque sic ad harmoniam, quae ipsa natura inter hominis vires regnare debuit, perveniunt; ita nunc partim ex eadem virium harmonia, qua primus homo intus gaudebat, partim ex harmonia, quae extra hominem inter mundi elementa regnabat, inferunt eum ipsa quoque naturae vi a morbis doloribusque immunem esse debuisse.

Si russi sibi constare velint, ulterius procedendo inferre debent primum hominem vi quoque naturae suae potuisse non mori seu immortalem fuisse; quippe cum nihil esset, quod in eum destructive ageret. Sed de hac re vacillare videntur [2]). Alii solummodo men-

---

[1]) Бречкевичъ, op. c. I, p. 197. Lebedev etiam longaevitatem qua homines prima aetate excellebant considerat ut reliquias naturalis illius paradisiacae perfectionis: «Quapropter et post damnationem, inquit, atque gratiae amissionem naturae perfectiones non statim in hominibus disparuerunt; malum non statim eos in suam potestatem redegit, atque corporalis natura etiam longo temporis spatio vestigia paradisiacae perfectionis gestabat in sua longaevitate». Лебедевъ А. op. c. p. 161.

[2]) Russi polemistae passim impugnant catholicam doctrinam: «futurum fuisse, ut homo in puris naturalibus relictus morti ceterisque defectibus subiaceret; mortem ceterosque defectus iam ex ipsis principiis seu elementis, quae humanam naturam constituant, necessario provenire, naturam utpote limitatam necessario naturaliter consequi». Ex altera parte

tionem faciunt hoc capite: Adamum ad immortalitatem esse destinatum [1]); alii ne verbum quidem de immortalitate hic dicunt, sed eam plane referunt ad caput quod sequitur atque ex speciali Dei providi cura deducunt [2]). Maxime sibi constare videntur, qui affirmant hominem creatum esse natura quidem immortalem h. e. ad immortalitatem destinatum, pariter et natura sua ad eandem essequendam aptum; sed ipsam immortalitatem eum assequi non potuisse nisi sub certis quibusdam conditionibus quae iam ex providentiali Dei cura repetendae sunt [3]).

Itaque cum catholici impassibilitatis donum praeternaturale fuisse docent, quod speciali Dei gratia primo homini collatum esset; russi impassibilitatem

---

russi docent hominem e manibus Dei necessario sine ullo defectu prodire debuisse. Никаноръ. архiеп. Херсонск. и Одесск. Бесѣда о томъ, есть ли что еретичеткое въ Латинской Церкви. Изд. 2. СПБ. 1889, p. 62 sq.; Трусковскiй И. op. c. p. 31; Епифановичъ. Записки по Облич. Богослов. Изд. 2. Новочеркасскъ. 1897, p. 34 sq. Δαμαλας. Περι Αρχων. p. 67. Ergo ex russorum principiis sequitur, ut primus homo vi naturae a morte immunis fuerit, aut saltem ut immortalitas ei plane debita fuerit. Id tamen expresse non affirmant. Immo vero quidam, qui positivam colunt theologiam, immunitatem a morte expresse gratiae i. e. providi Dei curae et non naturae adscribunt, veluti Макарiй. Богосл. I, § 85, p. 471—472.

[1]) Бречкевичъ, op. c. I, p. 197; — Свѣтловъ, op. c. II, p, 48; — Филаретъ Черн. op. c. I, § 130, p. 199.

[2]) Макарiй. Богосл. I, § 85, p. 471—472.

[3]) «Immortalitatis pignora, inquit Philaretes, metrop. Moscoviensis, inditae erant naturae Adami a Creatore in ipsa creatione». Городковъ Ал. Догматическое Богословiе по сочиненiямъ Филарета, митроп. Московскаго. Казань. 1887, p. 103; — Сильвестръ, op. c. III, § 37, p. 239 sq., § 57, p. 408; — Филаретъ Черн. op. c. I, § 130, p. 199; — Макарiй, Богосл. I, § 85, p. 471—472; — fusius de hac re capite, quod sequitur.

tanquam proprietatem naturalem considerant, quae ex illa harmonia, quae tum intrinsecus in ipso homine tum extrinsecus in universo regnabat, exorta est.

9. Concludimus, quae de perfectione primi parentis tum quantum ad animam tum quantum ad corpus disseruimus, verbis Brečkevič: «Haec sunt docente s. Scriptura praerogativae et proprietates primi hominis. Eius conditio igitur erat alta: altae eius destinationi plane correspondebat; sed multum aberat, ut perfecta esset; solus rerum usus ac propria industria poterant primum hominem ad maiorem atque maiorem perfectionem ducere» [1]. Quod cum paucis exprimere volunt, dicunt imaginem Dei in homine in toto suo splendore, similitudinem nonnisi in germine fuisse.

II. 1. Qua in re sic russi argumentando procedunt, ut primum et principaliter hominem prodiisse e manibus Dei cum perfectione absoluta ac terminata reiciant, tum ad negandam quoque omnem scientiam et virtutem infusam progrediantur atque omnino omnem perfectionem hominis positivam ad merum germen reducant; sed simul affirmant hominem et liberum fuisse ab omni defectu impedimentoque et magnis viribus magnaque facilitate praeditum ad istud germen excolendum evolvendumque. Quapropter et argumenta, quibus russi ad stabiliendam suam doctrinam utuntur, duplicis sunt generis: altera negativa, positiva altera.

Quorum indoles ut melius pateat, pauca de utrisque.

---

[1]) Бречкевичъ, op. c. I, p. 197.

2. Ratio cur primo homini plena perfectio, cur sanctitas et scientia sint denegandae, petitur tum ex hominis natura quae libera est, tum ex eius destinatione: «Supponere, inquit Uspienski, primum hominem cum absoluta ac terminata perfectione fuisse — contradicit morali eius naturae quae ita constituta est atque affecta, ut gradatim solummodo ac pedetentim idque nonnisi propria industria et arbitrio progredi possit; subito ei dare sapientiam ac virtutem earumque usum impossibile est; homo cum plena perfectione creatus non esset liber. Ex altera parte plena spiritualis evolutio hominis pugnat cum eius destinatione. Homo enim destinatus est, ut ad realisandum exemplar tendat, quod infinitum est, ad Dei scillicet assimilationem; hoc autem est munus atque opus totius hominis vitae, — finis, cui, quantum in sua potestate est, ille sensim sensimque appropinquet oportet» (Matth. 5, 18) [1].

---

[1]) Успенскій, op. c. p. 39. «Думать, что первый человѣкъ былъ совершеннымъ, въ смыслѣ оконченности духовнаго развитія своего, было бы противорѣчіемъ нравственной природѣ духа человѣческаго, существо котораго составляетъ его самостоятельная личность; въ силу этой самосгоятельности онъ долженъ самодѣятельно усовершать себя; въ противномъ случаѣ, созданный съ полнымъ совершенствомъ, человѣкъ не былъ бы свободнымъ существомъ. Съ другой стороны, мнѣніе о полномъ духовномъ развитіи перваго человѣка опровергается противорѣчіемъ его христіанскому ученію о назначеніи человѣка. Послѣдній предназначенъ стремиться къ осуществленію безконечнаго идела — къ уподобленію Богу; а это сосвавляетъ задачу всей жизни человѣка; это — цѣль, къ которой онъ по возможности долженъ только приближаться (Матѳ. 5, 48)«. — Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 49—58; — Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 418.

Quae ratiocinatio, quantum contra catholicos dirigitur, ut per se patet, maximam partem omni fundamento caret. Quis enim unquam catholicorum vel affirmavit Adamum prodiisse e manibus Dei cum perfectione absoluta et terminata, quae Dei vel beatorum est, vel quis negavit Adamum sive in scientia sive in sanctitate progredi potuisse? Si haec ratiocinatio in se sumatur, nimis concludit. Ex eo enim quod quis ad infinitam perfectionem vocatus est sive quod nondum gaudet summa scientia neque est cum virtute firmata, minime sequitur, ut nullam scientiam, nullam possideat virtutem, ut omnis eius perfectio ad germen reducatur: inter haec duo extrema plures gradus esse possunt eique admodum varii. Sed neque apparet, cur sive perfectio positiva, sive scientia infusa, sive sanctitas et iustitia hominis naturae liberae et destinationi repugnent. Haec enim non destruunt neque naturam neque libertatem, sed perficiunt, elevant; secus et beatis, et angelis, et Deo deneganda sunt. Ex altera parte non est, cur sive in accepta scientia sive in sanctitate et iustitia iam amplius profici non possit? «Qui justus est, inquit s. Scriptura, iustificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc». (Apoc. 22, 11).

Tota res in eo sita est, quod non attenditur alteram esse sanctitatem et iustitiam (hoc modo a russis nominatur perfectio in genere, cum catholici impugnantur) status termini et alteram sanctitatem et iustitiam status viae; praeter illam etiam hanc dari posse; — pariter aliud esse scientiam et virtutem acquisitam et aliud scientiam et virtutem infusam; praeter illam hanc quoque fieri posse. Sed russi, nescio cur cum de primo homine agunt, nomine sanc-

titatis et iustitiae nolunt intelligere nisi sanctitatem et iustitiam status comprehensionis [1]. Nonne et in via teste s. Scriptura possunt dari danturque iusti et sancti?

Pariter nescio cur, cum de scientia et virtute primi hominis agunt, non loquantur russi nisi de eis quae acquiruntur; quasi hae solummodo possibiles essent. Moderni russi tantum processerunt, ut non solum non loquantur (saltem cum de primo homine agunt) nisi de perfectione quae vel constituit naturam vel a natura acquiritur, sed etiam ne concipere quidem videantur fieri posse, ut scientia, virtus, iustitia aliquo alio modo conferri queant puta infusione! Ut exemplo afferam Lebedev, qui cum Tridentini verba: Adamum in sanctitate et iustitia constitutum fuisse, considerat, quaerit, «profecto quomodo hae originales hominis qualitates intelligantur? Sumanturne sensu moralis ac liberae acquisitionis, an nonnisi sensu perfectionis eius naturae?» [2] Quasi tertium non daretur! Sanctitas et iustitia a catholicis neque ut proprietates naturales hic sumuntur neque ut qualitates propria industria acquisitae; sed ut perfectio quae homini praeter et supra ejus naturam beneficio divino largita est. Gratia habituali sanctificante, quam Adam a Deo infusam acceperat, elevatus est ille atque in sanctitate et iustitia constitutus. — Ut discatur virtutem etiam infundi posse, sicut in ceteris pluribus, ita et hic recurrendum est ad russorum libros symbolicos [3]. — Haec

---

[1]) Успенскій, op. c. p. 39; — Титовъ, op. c. I, ур. 21, p. 212; — Никитскій С. Вѣра. II, p. 32—33 adnot.

[2]) Лебедевъ А. op. c. p. 170.

[3]) Vgr. Confes. Orth. Mogilae p. II, q. 1, ita definit spem: «Ἡ ἐλπίδα εἶναι ἕνα θάῤῥος ἀληθινὸν πρὸς τὸν Θεόν, διδόμενον εἰς τὴν

est indoles argumentorum, quae magis negativa sunt.

3. Quod argumenta positiva spectat, ut iam partim cognita habemus, tum ex verbis: «viditque Deus cuncta quae feeerat; et erant valde bona» (Gen. 1, 31) tum ex idea Dei infinite sapientis deducitur primum hominem prodiisse e manibus Dei sine ullo defectu, perfectum, plane parem suo alto fini. Ex Matth. 5, 48: «estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est», inferunt hominem non fuisse nisi initio suae viae, nisi in potentia ad suam evolutionem, ad suum progressum qui infinitus futurus erat [1]). Sed haec ut per se patet, nondum ostendunt, quae fuerit in specie primi hominis conditio. Quam ut delineent, sumunt russi argumenta tum e scriptura sacra tum e ss. patribus.

Quod s. Scripturam attinet, remittunt potissimum ad Gen. c. 2 et ad Sirach c. 17 [2]). Sed quomodo hi loci commentandi sint et cum russorum doctrina

---

καρδίαν τοῦ ἀνθρώπου ἀπὸ Θεοῦ ἔμφευσιν καὶ φωτισμόν (черезъ вдохновеніе и просвѣщеніе отъ Бога) διὰ νὰ μὴν ἀπελπισθῇ ποτὲ ἀπὸ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ etc.» Μεσολωρας, Συμβολικη I, p. 437; Правосл. Испов. ч. II, q. I, p. 98. — Eadem Confes. Orth. cum de Sacramento Confirmationis agit: ...«καὶ τώρα, ὅταν ὁ ἱερεὺς χρίει τὸν βαπτιζόμενον μὲ τὸ Ἅγιον Μύρον, χύνουνται ἐπάνω εἰς αὐτὸν Χαρίσματα τοῦ Ἁγίου Πνεύματος». Ib. pars I, q. 104; — Μεσολωρας op. c. p. 425—426; et aliis locis sermo est de infusione virtutum et donorum. Sed si virtus, si scientia infundi non possunt, tum etiam certe numquid potest esse omnino sermo de ordine supernaturali?

[1]) Vide quae supra: Nostr. Dis. p. 75 sq.

[2]) Quamquam russi Ecclesiasticum ad libros non canonicos relegant et non inspiratos, utuntur tamen hic eo libro nempe ut teste opininionis quam Iudaei de hac re habebant.

componendi, non dicitur. Ut exemplo afferam verba Sirach: «Deus creavit de terra hominem (1)... et secundum se vestivit illum virtute (2)... consilium, et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis excogitandi, et disciplinam intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis (5–6). Addidit illis disciplinam, et legem vitae haereditavit illos. Testamentum aeternum constituit cum illis et iustitiam et iudicia sua ostendit illis» (9—10). Quomodo componenda sunt haec cum russorum doctrina, quam exposuimus? Rem non esse tam facilem et ipsi russi videntur non diffiteri: «Itaque originalis protoparentum status in paradiso, inquit Augustinus rector, ut non erat status inhumanae feritatis seu extremae barbariei, sicut nonnulli supponunt; sic neque erat status illius, quae in terris ab homine attingi potest, perfectionis ac beatitudinis, sicut alii student biblicam de statu paradisiaco doctrinam exponere, ut eam rationi inaccessam reddant (неудобопріемлемымъ=quae ratione commode accipi non potest)» [1]). En principium negativum. Tichomirov vero postquam variorum mythorum, in quibus reliquiae traditionis de originali hominis statu conservantur, mentionem fecit, «maxime purum, inquit, et clarum hujus status conceptum sine dubio dat nobis Biblia; quamquam etiam in eius narratione quaedam continentur partes, quae nondum explicatae manent; ceterum eiusmodi particularitates non sunt

---

Quapropter et nos infra citamus librum Sirach saltem ad monstrandum catholicam doctrinam de perfectione primi hominis temporibus s. Augusti antiquiorem esse.

[1]) Августинъ, ректр. op. c. § 45, p. 146.

momenti essentialis; nostra interest ipsius ideae, quam narratio biblica praebet; eius sensus» [1]. En principium positivum procedendi, cum difficultas biblica occurrit.

Quantum ad ss. patres, Philaretes Čern. affirmat eos non exhibere primum hominem cum summa sapientia et sanctitate; atque citat: Clem. Alex. Strom. 4, 25; Cohort. 2; s. Theophil. Antioch. ad Autol. 2, 25; s. Irenaeum. Contra haer. IV, c. 38, n. 3 [2]. Contrarium a solo Cyrill. Alex. in Joan. 1, 90 doceri notat [3]. — Eosdem ss. Patres et ceteri theologi, ut Silvester, potissimum citant, adhibitis etiam aliis quibusdam [4].

Svietlov vero ss. Patres in duas distinguit classes: «Usque ad IV s., inquit, dominatur opinio qua primi parentes ut infantes concipiuntur... Sed inde a s. Augustino coepta est in spiritu protestantico seu saltem cum expressionibus quae Lutheranis favent formari opinio de perfecta protoparentum maturitate. Quam opinionem praeter s. Augustinum amplexi sunt etiam plerique patres orientales: Gregorius Nyss., Joan. Chryz., Johan. Damasc., Gregorius Theolog. etc. Verum vero in antiquiore Ecclesia usque ad IV s. viguit altera opinio, illi contraria, quae statum protoparentum cum statu innocentiae infantilis comparabat: veluti Tertullianus, Theophil. Antioch. qui Adamum ante lapsum fuisse infantem et mente infantili (νήπιος, νηπιάζων) opinabatur, s. Irenaeus» [5]. Cuius opinionis

---

[1]) Тихомировъ. Дм. Ал. Курсъ Основн. Богосоовія. Изд. 2. СПБ. 1897, p. 16.

[2]) Филаретъ Черн. op. c. I, § 131, p. 200.

[3]) Id. l. c. p. 201, adn. 67.

[4]) Сильвестръ, op. c. III, § 57, p. 408—414.

[5]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 50, 55.

vestigia Svietlov videt etiam apud alios quosdam scriptores: apud Iuvencum (330 an.) qui «statum Adami ante peccatum comparat nocti spiritualis caecitatis et ignorantiae; effectus vero comesti fructus est dies, qui illucescit, visus qui recuperatur». Item apud Hilarium, Marium, Victorem Massil. (450), Dracontium (490), Avitum (500); loci quibus illa doctrina inveniatur, non indicantur [1]. Non est cur addam auctorem censere solam hanc ultimam opinionem esse amplectendam; ad quod probandum recurrit ad s. Scripturam.

Non est nostrum sive hanc rationem distinguendi ss. patres hic crisi subicere [2], sive expendere doctrinam eorum ss. patrum, ad quos russi provocant; remittimus ad opera, quae rem ex professo tractant [3].

III. I. Postquam cognitum perspectumque habemus, undenam russi perfectionem primi hominis deducant? in quo eam ponant et quibus argumentis tum adversam opinionem impugnent, tum suam confirment? fere non est cur dicamus hanc perfectionem considerari ab eis ut aliquid mere n a t u r a l e, n a t u r a e

---

[1]) Id. l. c. p. 56.

[2]) Hoc loco patres antiquiores censentur recentioribus esse praeferendi. Sed cum de canone s. Scripturae sermo est, cum libri deuterocanonici ad non inspirata scripta relegantur, recentiores patres praeferuntur antiquioribus, quippe quod hi cum neque linguam hebraeam neque canonem Iudaeorum nossent, in errorem inciderint. Трусковскій, op. c. p. 4—5; — Перовъ. op. c. p. 26—27; — Епифановичъ А. Эаписки по Облич. Богословію. Изд. 4. Новочеркасскъ. 1897, p. 15.

[3]) Ut in genere ad Theologias Dogm. tum specialiter ad Dr. Jos. Schwane. Dogmengeschichte, t. I et II, Münster, 1862—1869 remittimus. Quod s. Irenaeum spectat, praeclare Kleutgen. Theologie der Vorzeit. II.

debitum. Quod ceterum directe confitentur, sive cum docent hominem prodiise e manibus Dei natura plane perfectum, omnino aptum, qui finem suum assequeretur, ipsa natura suo fini sufficientem, correspondentem, sive cum ex idea Dei infinite sapientis inferunt neque fieri potuisse, ut homo prodiret e manibus Dei cum aliquo defectu puta cum concupiscentia. Ergo magis rei illustrandae gratia quam confirmandae afferimus Lebedev verba: «Secundum Orthodoxae Ecclesiae doctrinam Adam anima et corpore perfectus est creatus sicut et oportuit; quia neque fieri potuit, ut e manibus Dei prodiret creatura quae imperfecta esset: Sed haec perfectio non est accipienda eo sensu, quo hac voce utimur, cum de mente hominis valde eruditi, docti, sapientis loquimur, sive cum loquimur de perfectione voluntatis et cordis hominis, qui multum in virtute profecit et sanctae vitae est, paucis: non est accipienda in sensu perfectionis quae libertatis est (h. e. quae propria industria ac libero proposito acquiritur), sed in sensu perfectionis naturalis, quae a Creatore humanae naturae data est. Ex quo efficitur, ut illa perfectio constiterit in eo, quod structura compositioneque natura Adami erat fini plane accomodata conformataque atque perfectissime correspondebat sapientissimis optimisque finibus, ad quos homo, cum crearetur, destinatus erat; in eo quod omnes animi corporisque vires exhibebant concinnitatem et consonantiam, ordinem et rectitudinem, verbo plenam in suis actionibus harmoniam... Integritas, unitas, harmonia naturae et innocentia respectu vitae moralis, hae sunt naturales primi hominis perfectiones» [1]).

---

[1]) Лебедевъ А. op. c. p. 160—161.

«Non potest affirmari, inquit Philaretes Čern., nisi praeconcepto quodam consilio ac mente protoparentum rectitudinem (iustitiam) fuisse *non naturae statum* sed speciale gratiae donum. Sacra scriptura ne uno quidem verbo vel indicio hanc de protoparentibus opinionem confirmat; nam hoc ad pelagianorum placita de perdita Dei imagine duceret» [1]. Macarius vero caput de conditione hominis, cum e manibus Dei prodiisset, hisce concludit: «Primus homo, cum talibus quas a Deo acceperat esset *viribus naturalibus*: tali mentis, voluntatis et etiam ipsius corporis conditione, nullum dubium est, quin ad suam destinationem aptus esse putuerit h. e. aptus, qui cognosceret Deum et glorificaret, qui bona opera exerceret et beatitudine frueretur, qui rerum naturae, quae ipsi subiciebatur, dominaretur. Verum utcunque perfectae erat hominis vires naturales, ille tamen»... [2].

Itaque conditio primi hominis, cum e manibus Dei prodiit, erat plane naturalis; homo non erat praeditus nisi donis plane naturalibus, quae eius naturae omnino debita erant.

Distinctionem, quae apud nostros theologos communis est, inter dona naturalia et praeternaturalia russi non cognoscunt, quantum assequi potuimus. Dona, quae nos praeternaturalia dicimus, illi partim primi hominis naturae tanquam debitá tribuunt: ut immunitatem a concupiscentia, immunitatem a morbis doloribusque, partim propriis viribus adiuvante Deo homini acquirenda relinquunt: ut scientiam et virtu-

---

[1]) Филаретъ Черн. ор. с. § 129, р. 198.

[2]) Макарій. Богосл. I, § 84, р. 466.

tem, partim ex speciali Dei providi actione seu gratia repetunt, ut immortalitatem.

3. Ex eis quae supra diximus sequitur, ut status quem nos dicimus naturae purae [1]) e russorum sententia impossibilis sit. Hoc posito explicatur, quid russi polemistae sibi velint, cum romanis pontificibus exprobrant, quod damnarunt hanc Bai propositionem (55): «Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur» [2]); vel cum impugnant id quod catholici theologi duce s. Thoma docent: «Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in conditione suae naturae relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens: in quo nihil humanae naturae derogaretur, quia hoc ex principiis naturae consequitur. Non tamen iste defectus in eo rationem culpae aut poenae habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus fuisset» [3]). Praesertim vero catholici arguuntur, quod tenent concupiscentiam ceterosque

---

[1]) Billuart. Summa s. Thomae. Compendium. t. II, tract. de gratia; diss. 2, a. 1, § 1, a. 2; et alii theologi quoad terminologiam consulantur.

[2]) Denzinger. Enchirid. Symb. n. 935. Operae pretium est animadvertere illud «talem qualis nunc nascitur» sic catholice intelligi, ut natura pura ea tantummodo dona possideat, cum quibus nunc homo nascitur, et negative careat eis bonis, quibus nunc homo in nativitate caret; non potest vero intelligi de omnibus privationibus quibus nunc homo affectus est, quia hae sunt contra voluntatem Dei; neque potest intelligi de macula peccati, quia impossibile est hominem a Deo cum hac produci. Vide Chr. Pesch. Praelectiones Dogmaticae. Friburgi Br. 1895, t. III, n. 225.

[3]) S. Thomas. in II senten. dist. 31, q. 1, a. 2 ad 3.

defectus ipsam naturam humanam utpote limitatam consequi, ex principiis quae humanam naturam constituunt seu ex ipsa materiae conditione ultro oriri. Quam ob rem catholici manichaeismi accusantur, quasi ut duo principia in homine ponant: bonum alterum, alterum malum [1]).

Quae incriminatio, ut liquet, ex eo provenit, quod russi non attendunt ad distinctionem, quam catholici ponunt, inter malum physicum et malum morale, inter concupiscentiam spectatam in se et in ordine ad rationem, inter concupiscentiam prout praevertit rationem vel consequitur eius imperium, prout inclinat in malum sine consensu voluntatis vel cum eodem etc. In alio enim casu et concupiscentia est alia; aliquando est bona, aliquando mala; aliquando merus defectus naturae, aliquando peccatum [2]). Quo fit, ut russi impugnent catholicam doctrinam, quin eam cognoscant, ut adscribant catholicis quae neque ab eis doceantur neque ex eorum principiis consequantur.

Russi vero, ut vidimus, tenent neque fieri potuisse, quin homo cum aliquo defectu e manibus Dei infinite sapientis prodiret; quod praecipue de concupiscentia affirmant, quam ut malum morale considerant [3]). Concupiscentiam, prout est in praesenti rerum ordine, repetunt ex eo, quod natura humana peccato instrinsecus corrupta est; ergo ex quadam qualitate, quam peccatum in naturam hominis intulit.

---

[1]) Никаноръ архіеп. op. c. p. 61—64; — Трусковскій И. op. c. p. 31—32; — Перовъ, op. c. p. 48—49; — Епифановичъ, op. c. p. 34— 35.

[2]) Mazella. De Deo Creante. n. 729 sq. p. 534 sq.

[3]) Vide quae supra diximus p. 109—112.

Atque ex hisce liquet, sub quo respectu hac in re rusi distinguantur a catholicis.

IV. Postquam cognitum perspectumque habemus, quaenam et qualis primi hominis conditio fuerit, cum e manibus Dei prodiisset, reliquum est, ut quaedam de nominibus, quibus haec conditio appellatur, adiciamus.

Russi ut plurimum eisdem quidem utuntur nominibus, quae et in s. Scriptura, et apud ss. patres occurrunt, et a catholicis adhibentur; sed significationem eorum vel restringunt vel mutant in aliam, quae scilicet suis principiis conveniat atque doctrinae. Ideo solummodo eorum doctrina bene cognita, qui sit terminorum quibus utuntur sensus, assequi possumus. Principaliora quibus protoparentum status designatur haec sunt nomina:

1. a) Ille status dicitur originalis [1]), quia homo scilicet ab ipsa origine in eo erat constitutus. A nonnullis hic status coeptus est vocari normalis [2]); quae appellatio mihi videtur melius exprimere, id quo ex russorum opinione homo integer imprimis prae lapso excellebat, quod eius vires scilicet nondum erant malo tactae neque turbatae.

2. b) Vocatur status perfectionis [3]), eo sensu quod homo et eximiis viribus erat praeditus et perquam bene dispositus ad perfectionem acquirendam;

---

[1]) Состояніе первоначальное: Рудаковъ, op. c. § 40, p. 73; первобытное: Бречкевичъ. op. c. I, p. 195; etc. — ipse homo dicitur первозданный.

[2]) Свѣтловъ, op. c. I, § 32, p. 378; Никитскій. Вѣра etc. II, p. 31—32; etc.

[3]) Состояніе совершенства, высокаго совершенства. Макарій. Богослов. I, § 84; Августинъ, op. c. § 45, p. 145; etc.

sed ipsa ejus perfectio erat in germine solummodo, in potentia. Quapropter russi magis sibi constant, cum statum primi parentis sub hoc respectu vocant statum evolutionis seu sui perfectionis, statum rapidi progressus [1]).

3. c) Ille appellatur status «sine peccato» ἀναμαρτησίας. Non sensu positivo: eximiae sanctitatis et virtutis, ut catholici docent; sed sensu mere negativo: carentiae culpae. Quapropter cum catholici theologi movent quaestionem, «potueritne esse, ut primus homo committeret aliquid quod esset de se peccatum veniale antequam integritatem primi status amitteret peccando mortaliter» [2]), russi quaerunt, cognoveritne Adam quid bonum esset et quid malum [3]). Cum sub hoc respectu considerant, russi aliquando statum protoparentum vocant statum nescientiae mali. «Status ille, inquit Silvester, erat potius status nescientiae peccati, quae primo tempore homini naturalis erat» [4]).

4. d) Nominatur status rectitudinis (правота). Notandum est russos distinguere inter rectitudinem (правота) et iustitiam (праведность). Solam illam tribuunt homini; hanc acquirendam relinquunt.

Vocem vero rectitudinis non sensu positivae virtutis sumunt, sed magis negative: ut «bonam moralium virium dispositionem ad virtutem acquirendam, ut inclinationem in bonum [5]).

5. e) Status integritatis; quae vox sumitur tum negative: sensu immunitatis et a concupiscentia et

---

[1]) Пятницкій, op. c. § 34, p. 129; et alii.
[2]) S. Thomas 1, 2, q. 89, a. 3.
[3]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 56—57.
[4]) Сильвестръ, op. c. III, § 57, p. 414.
[5]) Филаретъ Черн. op. c. I, § 129, p. 198; et alii.

a qualicunque alio defectu naturali, tum positive: sensu concentus seu harmoniae quae inter hominis vires regnabat[1]). Iuxta Svietlov «integritatis vox nihil aliud significat, nisi vires primi hominis nondum tactas esse malo»[2]).

6. f) Nuncupatur status innocentiae; quae appellatio generalis dici potest atque communis[3]). Quo sensu sumatur innocentia, ex eis quae diximus facile inferri potest. Svietlov sic eam definit: «Nomine protoparentum innocentiae intelligitur plena eorum naturae immunitas a depravationibus, absentia in eorum natura quarumcunque obstaculorum ad ulteriorem infinitam sui perfectionem, — id quod in lingua theologica dicitur integritas; quae vox nihil aliud significat nisi vires primi hominis nondum tactas esse malo»[4]). «Originalis, inquit Roždestvenski, hominis status moralis «status innocentiae» dicitur; cujus nota characteristica in eo consistit, quod in hoc statu potius obiectiva primi hominis resplendebat perfectio moralis, quam subiectiva (personalis) quae scilicet individuis effecta est viribus, potius purae Dei crea-

---

1) Id. l. c. § 128, p. 197; § 132, p. 203; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 197 et alii; — vocatur vero haec praerogativa: цѣльность, неповрежденность.

2) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 51.

3) Ѳаворовъ Н. Чтенія о Догматич. Истинахъ. Изд. 2. СПБ. 1890, чтн. 8, p. 97; — Титовъ, op. c. I, ур. 21, p. 112; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 198, et alii; — vocatur невинность.

4) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 51: «Подъ невинностію первыхъ людей разумѣется полная свобода ихъ природы отъ поврежденій, отсутствіе въ ихъ природѣ какихъ либо препятствій къ дальнѣйшему безконечному совершенствованію, то, что, называется на богословскомъ языкѣ integritas, неповрежденность, цѣльность (названіе это значитъ, что силы первыхъ людей не тронуты были зломъ).

turae perfectio, quam perfectio quae propria industria ac proposito est evoluta» [1].

V. Appendicis instar adicimus statum protoparentum coeptum esse vocari statum innocentiae infantilis seu statum infantilem.

1. Cuius rei vestigia iam apud Philaretem Čern. inveniuntur, qui dicit protoparentes non fuisse nisi mente simplici, imperita, nondum matura [2]. Pariter et apud Silvestrum occurrit propositio: «Homo initio erat solummodo in statu infantili h. e. solummodo initio viae ad suum spiritualem moralemque profectum» [3]. Sed proprie archiep. Innocentius ut auctor huius opinionis a Svietlov salutatur [4].

2. Ipse vero Svietlov hanc doctrinam iam ad ultimas deducit consequentias. Is, ut vidimus, iam ex ss. patribus probare nititur protoparentes non fuisse nisi in statu innocentiae infantilis. Sed praecipue ex s. Scriptura haurit sua argumenta: et quidem tum ex praecepto quod protoparentibus datum est, tum ex indole eorum lapsus.

«Biblia, inquit, solam hanc opinionem (innocentiam scl. infantilem) (indirecte) confirmat. Haec solummodo opinio necessitatem et rationem primi praecepti, quod protoparentibus impositum erat, ex-

---

[1]) Рождественскій Н. П. Христіанская Апологетика. Курсъ Основнаго Богословія. Изд. 2, СПБ. 1903, II p. 289.

[2]) Филаретъ Черн. op. c. I, § 128, p. 197; § 130, p. 206; conf. Бречкевичъ, op. c. I, p. 196.

[3]) Сильвестръ, op. c. III, § 57, p. 410. — Sed alio loco (§ 58, p. 420) idem docet: «admittendum esse Adamum prodiisse in mundum non ut infantem sed ut virum maturum».

[4]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 57 sq.

plicat. Si enim praeceptum non ad exercendam Adami et Evae libertatem neque ad eos probandos datum est, ad nihil est datum. Sed si propter hoc illud praeceptum est datum (rem vero ita se habuisse ostenditur in theologiis [1]), sequitur, ut Adam et Eva fuerint adhuc in statu innocentiae infantilis, in qua firmari potuerint sola ex propriis viribus provenienti voluntatis suae exercitatione. Praeterea Biblia narrat Adamum et Evam ante lapsum ignorasse, quid bonum esset et quid malum. Sed sine hac scientia non potest dari spiritualis maturitas. Status igitur huiusmodi ignorantiae non est nisi status innocentiae infantilis» [2]). Et alio loco: «Illud praeceptum, inquit, eo modo ac spiritu datum est, quo generatim infantes praecaventur ad his vel illis actionibus, quas (inconsiderati) per ignorantiam committere possint. Quo in casu tota spes, fore, ut praeceptum observetur, in infantium indole (corde et imaginatione) collocatur; quocirca optimus agendi modus habetur, quo infantes vel blanditiis adducantur vel minis animus eorum inclinetur ad obediantiam. Atque huiusmodi erat illud, quo primi parentes praecavebantur, Dei praeceptum» [3]).

Quod lapsum attinet, «eius indoles, inquit, ut in s. Scriptura describitur, innocentiam infantilem et immaturitatem Evae ostendit. Eius culpa omnes notas peccatorum continet, quae acri ac vivido ingenio infantili commituntur; in hoc Evae delicto primas habuerunt partes: fructuum aspectus et gustus, curiosi-

---

[1]) In quibus et quibus argumentis, non dicitur.
[2]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 51.
[3]) Id l. c. p. 57.

tas propria infantium — quid nimirum sequeretur, si fructu fruentur? — infantilis credulitas, imperitia etc.» [1])...

Quid igitur est ille status, illa innocentia infantilis? «Certe, inquit Svietlov, non debent intelligi primi homines eo sensu infantes, quo nos accipimus. Inter primos illos infantes et eos, qui nunc nascuntur, magnum discrimen est. Primi illi infantes, dixerim infantes adulti, immunes erant a defectibus, qui in humanam intrarunt naturam et qui statim ab initio nunc sese exserunt, etiam aetate infantili. Nostri infantes non possunt esse accurata protoparentum imago. Est quidem in eis innocentia (inscientia boni et mali) sed pariter et inconscia ad malum pronitas, quae amore sui, sensualitate, morositate, ira sese prodit» [2]). Ipsam vero innocentiam ulterius Svietlov ponit in eo, quod protoparentibus nulli inerant defectus, nulla obstacula ad ulteriorem infinitam sui perfectionem, quod eorum vires nondum erant tactae malo [3]).

---

[1]) Ibid. p. 57; conf. ibid. p. 50.

[2]) Id. l. c. p. 51; «Конечно, нельзя представлять первобытныхъ людей дѣтьми въ нашемъ смыслѣ слова. Между первыми дѣтьми и настоящими есть большое различіе. Первые дѣти — взрослые дѣти, скажемъ, были свободны отъ тѣхъ недостатковъ, которые вошли въ человѣческую природу, а весьма рано открываются еще въ дѣтскомъ возрастѣ. Наши дѣти не могутъ представлять первобытныхъ людей. Въ нихъ есть невинность, незнаніе добра и зла, но въ нихъ уже есть и безсознательное стремленіе ко злу: сказывается оно въ самолюбіи, чувственности, капризѣ, злости».

[3]) Ibid. p. 51; conf. textum, quem supra attulimus p. 129, adn. 4.

Ergo Svietlovii opinione Adam infans non differt ab infante qui nunc nascitur, nisi in eo quod iam adulta sit aetate, non iracundus, non morosus, non sui amans: immunis enim adhuc ab hisce defectibus nondum laesis viribus. Sed uterque infans: Adam et noster conveniunt in innocentia; uterque enim nescit bonum et malum, uterque aeque imperitus, credulus, curiosus, immaturus, simplex.

Profecto et nonnulli ss. patres et quidam theologi catholici protoparentes interdum infantibus comparant; sed multum alio sensu atque respectu quam Svietlov [1]).

VI. Pariter appendicis instar subiungimus, quomodo nonnulli russi suam de originali hominis conditione doctrinam cum moderna scientia componant?

1. Svietlov plus minusve hoc modo disserit: «Anthropologia primum hominem ponit in epocha quam vocant lapidea h. e. culturae infimae et barbarae; quo fit, ut scientia veluti eis, quae Scriptura sacra de magna protoparentum perfectione narrat, opponatur; sed specie tantummodo et non re vera. Tantum enim abest, ut contradictio aliqua inter utramque existat, ut textus sacer cum eis, ad quae scientia pervenit, in pleno sit concentu. Longe enim abest, ut Scriptura sacra narret Adamum et Evam in alto fuisse gradu culturae (si eo sensu haec vox sumatur quo nunc accipimus). Nam neque artis comparandi fabricandique ferrum sunt periti neque cete-

---

[1]) Inter catholicos Kleutgen. Theologie der Vorzeit. II d. 9, § 13, optime et perquam fuse disserit de sensu quo primi parentes a ss. patribus infantibus comparantur.

rarum artium; utuntur solum his quae natura fert mater, ita ut neque vestem habeant. Culturae primordia teste Scriptura apparent aevo multo posteriore [1]). In generis humani cultura duo sunt probe distinguenda: perfectio materialis et perfectio moralis (spiritualis) quae saepe valde diversa sunt invicem. Scriptura sacra cum de magna primi hominis perfectione loquitur, prae oculis habet quae pluris est perfectionem sub hoc altero respectu consideratam: moralem scilicet et non materialem, quae ex cursu temporis pendet. Ergo anthropologiae testimonium fidenter possumus suscipere, quin in dessensu a Scriptura simus» [2]).

2. Eodem modo et celeber russorum apologeta Roždestvenski Bibliam cum scientia componit; et ille distinguit inter perfectionem hominis ex una parte religiosam moralemque, ex altera materialem. Respectu illius conditionem primi hominis dicit altam fuisse. Respectu vero huius: «Biblia, inquit ille, nullum fandamentum praebet ad supponendum primos homines quantum ad culturam in alto evolutionis gradu fuisse. Etsi eximiis ad id

---

[1]) Notamus auctorem hic confundere statum hominis ante lapsum cum statu post lapsum; atque ea, quae s. Scriptura de hoc narrat, transferre ad illum. Attamen fatentibus omnibus russis inter utrumque hunc statum intercedit discrimen idque maximum. Vestem vero primus parens non habuit, quia non indiguit; indigentia autem non est signum perfectionis. Quapropter iure merito id quod nostra misera conditio et veste indiget et aliis pluribus quae primo parenti non erant opus — alii theologi etiam russi ut sequelam peccati considerant: vgr. Бречкевичъ, op. c. I, p. 197; — Филаретъ Черн. op. c. I, § 130, p. 199 et alii.

[2]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 61—62.

praediti essent animi viribus, sed hae vires evolvendae erant excolendaeque. Eorum habitaculum est sub dio in horto; vestem initio nullam gestant, postea lata ficuum folia» [1]... Et alio loco: «Primus homo ante lapsum, inquit, ut vitae necessitatibus satisfaceret, obtinere non potuit nisi arduo labore, nisi pugnando cum rerum natura; sed pugna de existentia contra inimica rerum naturae elementa evolutioni eorum naturalium cum corpiris tum animi virium proderat atque mobilis instar stimulique erat ad continuo accumulandas materialis culturae opes» [2].

Itaque Svietlov et Roždestvenski sic rem cum scientia componunt, ut solummodo quantum ad perfectionem religiosam moralemque negent, quantum vero ad perfectionem materialem concedant primum hominem non fuisse nisi gradu infimo [3].

---

[1]) Рождественскій. op. c. II, p. 288.

[2]) Id. op. c. II, p. 292. — Nescio, quomodo haec pugna de existentia componi possit cum eis quae ceteri russi docent sive de beata illa, felici ac placida quam homo in paradiso degebat vita, sive de perfecto illo quod homini competebat in rerum naturam imperio, sive de illa harmonia quae inter hominem ceterasque res regnabat: Макарій. Богосл. I, § 85; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 197—199; p. 230—231; — Филаретъ op. c. I, § 130 et 131; — Сильвестръ, op. c. III, § 56—57.

[3]) Soli Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 58—64 et Рождественскій. op. c. II, p. 287—295 ex eis, quos prae manibus habemus, hac ratione bibliam cum scientia componunt. — Alii vel praetereunt hanc quaestionem, vel sub alio respectu rem tangunt, ut Сильвестръ, III, § 58, p. 418—426. Iuxta quem error eorum qui primum hominem in statu barbaro ponunt in eo praecipue consistit, quod censent religiosas moralesque eius vires fuisse sopitas, eum non egisse nisi animalis instinctus ductu... (Ib. p. 714). Cui doctrinae Silvester opponit propositionem: «praesupponendum est in primo homine fuisse aliquem, quae ipsi

VII. Atque hisce claudimus articulum de statu primi hominis, ubi primum e manibus Dei prodiit.

---

essentialiter necessariae essent. veritatum apparatum» (p. 420). Cur? «Quia secus generis humani progressus plane impossibilis esset». Is enim Adam fuit respectu posterorum. qui est pater vel paedagogus respectu infantium. «Omnis autem infans (exceptis profecto surdo mutis) cum expedita quidem cogitandi loquendique facultate nascitur; sed nullo modo fieri potest, quin per se vel cogitare vel loqui discat; nam ad cogitandum necesse est, ut intrinsecus nobiscum iam colloqui sciamus; quod non datur apud infantem. Pariter ut loqui possimus, oportet calleamus id cogitare quod locuturi erimus; quod pariter non est in infante». Quis igitur est, qui excitet infantem asuefaciatque sive ad cogitandum sive ad loquendum. Parentes sine dubio vel qui eorum locum tenent. Sed rursus a quo hi excitati sunt asuefactique? A suis parentibus, et sic usque dum ad primum hominem perveniatur; «qui si loquelam tradere potuit, manifestum est illum iam habuisse eam atque simul cum ea etiam evolutam, accuratam ac determinatam cogitationem» (p. 420—421). — «Quod si non omnino de omni hominis progressu, saltem de religiosa moralique eius evolutione dicendum est». Iam inclinati quidem ac praedispositi ad religiosam moralemque vitam nascimur, ipsa natura sensu religioso moralique praediti. Sed ut hic nostri animi campus aliquid ferat, opus est ut in eo semina earum quae magis essentiales sunt fidei et morum veritatum seminentur. Haec vero semina non creamus neque invenimus, sed alii ab aliis tradita accipimus: iudaei et christiani certe ex revelatione. Sed undenam etiam apud paganos haec semina reperiuntur? Hoc nullo alio modo explicari potest nisi praesupposito paganos has veritates ex traditione quae usque ad protoparentes ascenderet hausisse; protoparentes vero eas a Deo acceperant (p. 421—422). Hoc modo probat Silvester protoparentes saltem quantum ad perfectionem religiosam moralemque non fuisse conditione infima; sed eos habuisse: accuratam ac praecisam cogitationem, quaedam veritatum quae ipsis essentialiter necessariae essent semina, quendam earum apparatum. Qui apparatus in quonam constiterit,

Sed perspecta russorum doctrina atque ubi res postulabat oposita ei catholica, operae pretium esse cen-

---

auctor non dicit. Si quaeratur, a quonam hunc veritatum apparatum homo acceperit? russi respondent: a Deo provido, cum in paradiso educaretur doceretarque. Quomodo? Certo non infusione, cum haec impossibilis sit, naturae humanae repugnet; sed more magistri Deus hominem docuit excitando expergefaciendoque eximias eius facultates: sive cum adduceret ad eum animalia atque ad imponenda nomina eum invitaret, sive cum ei praeceptum poneret ad eius conscientiam acuendam (ut nonnulli videntur iudicare, puta Macarius). Sed cum haec iam ad providentiam referantur, de hisce postea.

Itaque hic habemus purum traditionalismum, qui ad placita Bonaldi, praesertim vero Bonetty accedit.

Silvestrum etiam alii quidam ut plurimum ad verbum repetunt; puta: Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 129—133; — Ив. Пятницкій. op. c. § 34, p. 129—131; — Августинъ, Руководство къ Основн. Богослов. Изд. 3 Москва. 1894, § 24, p. 72—73; § 45, p. 146—147; qui auctor monstrat hominem, utpote substantiam limitatam, non potuisse per se neque evolvi neque progredi sine aliquo influxu externo; «cui evolutioni efficiendae neque naturam externam suffecisse, quippe quae mortua et indifferens (proprie «impersonalis — безличная) esset neque capax ad excitandam et evolvendam in altero vitam personalem h. e. religioso moralem». Ex hoc infert auctor necessitatem interventionis Dei et revelationis (§ 29, p. 72—73; § 10 etc.).

Quod nostram quidem rem spectat, si comparetur ratio procodendi Silvestri et eorum qui eum sequuntur cum eadem Svietlovii et Roždestvenski, — alteri alteros aliqualiter complere videntur. Hi enim posito: conditionem primi hominis respectu habito perfectionis religiosae moralisque fuisse altam, toti sunt ut indicent, quae fuerit eius perfectio respectu habito culturae materialis; — Svietlov autem eiusque asseclae praetereunt silentio hanc quaestionem neque dant operam nisi ut demonstrent primum parentem quantum ad perfectionem religiosam moralemque non fuisse conditione plane rudi, in statu barbaro.

semus saltem paucis perstringere, in quonam utrique consentiamus vel dissentiamus?

1. Primum quod relationem primi hominis ad suam altam destinationem attinet, utrique affirmamus illum fuisse aptum ad suum finem assequendum. Sed aliter russi hanc aptitudinem aliter nos intelligimus. Si sola hominis natura spectetur, nos non sumimus hanc aptitudinem nisi negative h. e. sensu merae non repugnantiae, ut homo gratia ad visionem Dei assequendam elevetur; russi aptitudinem sumunt etiam positive — sensu sufficientiae, correspondentiae, dispositionis perfectae, possessionis virium. Verbo cum catholici non tribuunt naturae humanae ut naturae nisi potentiam obedientialem ad visionem beatificam, russi etiam naturalem. Quocirca cum nos gratiae habitualis sanctificantis necessitatem affirmamus, qua homo elevetur, suppar reddatur tanto fini; russi elevationem silentio praetereunt, cum natura sufficiat. Quo fit, ut, cum simpliciter de aptitudine loquamur, nos subintelligamus aptitudinem quae ex gratia, russi quae ex natura sit.

2. Secundo quod ipsam hominis perfectionem attinet, utrique affirmamus eum prodisse e manibus Dei perfectum; totum discrimen, quae et qualis fuerit haec perfectio? Sub hoc respectu utrique aliqualiter convenimus in assignanda perfectione, quae magis negativa est, sed toto coelo distamus cum agitur de positiva.

Utrique consentimus hominem prodiisse e manibus Dei sine ullo errore sino ulla praeconcepta opinione in mente, sine ulla macula vel vitio in voluntate, immunem a defectibus: a concupiscentia, a mor-

bis doloribusque. Item utrique in primo homine ponimus eximias cum corporis tum animi vires naturales: excellens ingenium, rectam voluntatem, cor purum. Cum russi in hoc iam sistunt, catholici ulterius procedunt atque docent naturalem hominis excellentiam cummulatam esse a Deo etiam eximiis donis positivis tum praeter tum supernaturalibus.

Porro si sumamus proprietates hominis et praerogativas, in quibus tribuendis utrique convenimus, cum catholici immunitatem tum a concupiscentia tum a morbis doloribusque iam ut dona praternaturalia considerant atque ex speciali Dei beneficio repetunt; russi distinctionem inter bona naturalia et praenaturalia non cognoscunt atque, quidquid homini dant, considerant ut naturale ac debitum neque repetunt nisi ex naturali hominis constitutione.

3. Ex quo efficitur, ut status hominis, cum e manibus Dei prodiisset, russorum sententia non fuerit nisi plane naturalis. Qui si comparetur cum statibus quos catholici distinguunt, maxime accedit ad statum naturae integrae, quia etiam immunitas tum a concupiscentia tum a morbis doloribusque a russis in eo ponitur; sed et recedit ab illo, quia et, cetera dona praeternaturalia praetermittuntur et ea quae dantur, dantur ut naturae debita. Atque sub hoc respectu ille russorum status recidit ad nostrum statum naturae purae [1]).

Sed summum, quo ille russorum status a nostro statu sive naturae purae sive naturae integrae differt, eo continetur, quod in illo, etsi naturalis esse dicatur, iam ponitur ordinatio hominis ad visionem Dei

---

[1]) Terminos sumimus iuxta Billuart op. c.

facialem, ergo ad finem supernaturalem; quae ordinatio a catholicis non admittitur nisi in statu elevationis, in statu supernaturali.

4. Tandem quamquam rationem, cur russi id facerent, assequi non potuimus, rem tamen ipsam notamus quae est haec: Omnia quaecumque in eorum theologiis relatione Dei Creatoris ad primum hominem comprehenduntur, censentur esse naturam, debitum naturae, naturale; ita ut homo, quidquid a Deo Creatore, in ipsa creatione, cum creatur accipere dicatur, putetur vi ac iure naturae suae habere; quod aperte affirmant Silvester et Tichvinski [1]).

VIII. Hisce absolvimus caput de relatione Dei Creatoris erga primum hominem.

Itaque ut vidimus Deus Creator: 1) posuit primo homini ultimum finem beatitudinem aeternam, cuius summum visio Dei facie ad faciem est; 2) ostendit quoque finem medium seu viam qua ad illam beatitudinem gradiendum erat, quae est sui evolutio ac progressus acquirendo veritatem et virtutem; 3) dedit etiam naturam plane aptam seu proportionatam tanto fini, eximiis ac plane sufficientibus suae destinationi adimplendae viribus praeditam. Atque haec omnia habuit homo vi atque iure naturae.

Nihilominus tamen homo, etiamsi sic affectus et constitutus e manibus Dei Creatoris prodiisset, destinationem suam adimplere non potuit sibi soli relictus, quippe cum solis propriis viribus evolutionem suam

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 415—418; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 127—129.

ac progressum neque incipere neque prosequi posset nisi Deo provido succurrente. Homo ad suam evolutionem ac progressum etiam provida Dei cooperatione absolute indiguit; quae cuiusmodi fuerit, discemus capite quod sequitur.

CAPUT IV.

RELATIO DEI PROVIDENTIS

AD PRIMUM HOMINEM.

I. 1. Primus homo absolute indiguisse dicitur succursu Dei providi. Haec indigentia ex ipsa hominis natura deducitur, quae, utpote creata, limitata est et finita; neque per se subsistere, neque evolvi aut progredi potest nisi conservante cooperanteque Deo. Haec passim ab omnibus docentur licet aliis atque aliis verbis, aliis atque aliis locis [1]).

---

[1]) Vide quae in prolegomenis generatim de providentia ... ia diximus p. 21—34. Non omnes theologi speciali aliquo capite de ... e providentia Dei erga primum haminem agunt; apud plures hoc ... c caput omnino desideratur atque ipsa res nonnisi cursim hi... ic illic tangitur: vel cum generatim de Providentia sermo est, ... t, vel hoc ipso tractatu. Qui systematice hanc rem speciali capite ... te tractant, sunt: 1) Макарій. митрон. Московскій. Православн. До-... го-гматическое Богослов. Изд. 5, СПБ. 1895, I, § 85—86, p. 467—477 ... 7; 2) Филаретъ, архіеп. Черниговъ. Православн. Догматическ. Богосл... Изд. 3, СПБ. 1882, I, § 133—134, p. 203—207; 3) Сильвестръ ... ъ, епиcк. Опытъ Православн. Догматич. Богословія. Изд. 2, Кіевъ, 189... 9, III, § 56—58, p. 402—426; quem recentiores in hac re plerum...

Veluti Silvester perquirendo perfectionem tum generatim totius naturae primi hominis tum singularum eius facultatum monstrat, quomodo ille sub qualibet ratione indiguerit provida Dei cura. «Sed perfectio eius (Adae) naturae, inquit, non erat absoluta... neque plena... sed tantummodo in statu germinis, quod postea futurum erat, ut evolveretur ac maturesceret. Quapropter primus homo inde ab ipso suae creationis initio absolute indiguit providentiali Dei actione, quae cum ad conservationem tum ad evolutionem atque profectum illorum deisimilis eius naturae pignorum, quibus alta hominis vocatio destinatioque delineabatur, ei necessaria erat. Eius mens profecto, utpote omnino integra neque ulla re obscurata, apta erat, quae maxima cum facilitate celeritateque omnes res perciperet; sed ipsa veritatum cognitione... nondum potiebatur; erat tantummodo in via ad eam, quamquam recta sed non sine periculo deviandi; quocirca, ut patet, absolute indigebat externo Dei adiutorio ac paedagogatu, quibus ad assequendam sicut omnium creatarum rerum ita praecipue ipsius Creatoris veram cognitionem iuvaretur; quod fieri non potuit sine ipsius Dei cooperatione et revelatione (Matth. 11, 27). Eius voluntas habuit plenam, nulla re constrictam eligendi libertatem

---

que ad verbum sequuntur, ut: Бречкевичъ Конст. свящ. Записки по Правосл. Догм. Богословію. Елисаветградъ 1895, p. 219—222; Тихвинскій Ник. протоіер. Чтенія по Правосл. Христіан. Богословію. Ярославль 1895, II, чтн. 10, p. 123—133; Пятницкій. Ив. Введеніе въ Правосл, Богословіе. Ставрополь. 1893, § 34, p. 127 sq. — Propter usum igitur et auctoritatem quibus apud recentiores hac in re gaudet sequimur Silvestrum ducem adhibitis ceteris ubi opus est.

simulatque plenam vim facultatemque ad summum bonum tendendi idque assequendi; sed ipsum bonum erat solummodo finis eius conatuum; neque attingi potuit nisi cooperante Deo, sine quo homo nihil boni facere potest (Joan. 15, 5). Eius cor erat purum, nulla re turbatum; ideoque plena cum libertate ad supernum bonum ferri et illud in se veluti in speculo exprimere potuit; sed iterum id assequi non valuit nisi ipso Deo cooperante, qui Fons et Dator omnis boni est (Jacob. 1, 17). Totus demum eius spiritus, quippe cum homo vocatus esset, ut rebus terrenis sensibilibusque praeesset eisque tamquam instrumentis et mediis ad suos altiores uteretur fines, aeque etiam sanis viribus facultatibusque, quae ad id necessariae essent, praeditus erat; sed et sub hac ratione neque cognitionem (scilicet rerum terrestrium) neque usum habuit; et ideo etiam hac ex parte rursus necessitatem experiebatur auxilii Dei et cooperationis, quibus ad firmandam eius voluntatem et industriam opus erat» (Philip. 2, 13) [1]. Hanc Silvestri argumentationem plerique theologi suam faciunt atque ut plurimum

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 402—404. Eodem modo ratiocinari videtur et Филаретъ Черн. op. c. I, § 134, p. 206: «Adam, inquit, mente erat nondum matura; eius voluntas nondum erat usu firmata in bono; eius libertas utpote limitata non excludebat potestatem faciendi mali; necesse igitur erat, ut ea labore firmaretur acciperetque firmam ac stabilem tendentiam». Atque ex hac hominis conditione deducitnr necessitas providentiae. In genere, ut diximus, russi inferunt necessitatem providentiae tum ex eo quod homo substantia limitata est, tum quod eius perfectio non erat nisi in germine, ac proinde quod ille evolutione eguit. Sed alii theologi quidam contra: ex facto, quod Deus providus variis modis primi homi-

verbotenus repetunt» [1]. — Macarius vero sic paucis omnia complectitur: «Utcumque perfectae erant naturales hominis vires, attamen ille, cum limitatus esset neque vitam in seipso haberet, etiam tunc similiter atque ceterae creaturae indiguit confortatione (h. e. cooperatione) Dei, qui solus fons vitae est omnibus creaturis corporeis incorporeisque» [2].

2. Itaque homo ipsa natura plane exposcit Dei concursum. Quid ergo Deus? Ille, quia infinite bonus est, huic creaturae indigentiae ratione et modo quae conveniunt benevolus respondet. «Et Creator, sic prosequitur Macarius, qui infinite bonus est statim tunc et suam specialem providam curam erga primum hominem monstravit, statim tunc immediatam quoque suam cooperationem, qua finem assequi posset, ei exhibuit» [3]. «Deus, inquit Silvester, omnes illas (quas scilicet supra recensuit) indigentias hominis, ut creaturae relative quidem perfectae sed pariter limitatae et finitatae, melius ipso homine novit; neque eum sine suis auxiliis, quibus istis indigentiis convenienter satisfaceret, reliquit; sed simulatque procreavit, suam quoque tulit homini opem, quae videlicet variis largi

---

nis curam gerebat, concludunt primum hominem nondum fuisse plane perfectum, eum tum etiam evolutione indiguisse, eius perfectionem non fuisse nisi in germine; veluti Свѣтловъ. П. Я. Опытъ Апологетическаго Изложенія Прав. Христ. Вѣроученія. Кіевъ. 1898, II, § 39, p. 50 sq. — Перовъ Ив. Руководство къ Обличит. Богословіо. Изд. 4, 1897, p. 140.

[1]) Бречкевичъ, op. c. I, p. 219—220; — Пятницкій Ив. Введеніе въ Прав. Богословіе. § 34, p. 127—129; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 123—124; Перовъ, op. c. p. 139—140.

[2]) Макарій. Богосл. I, § 84, p. 466.

[3]) Idem l. c.

amoris erga protoparentes atque paternae providaque curae documentis sese prodidit» [1].

3. Postquam russi r a t i o n e stabilierunt ex parte hominis absolutam providae cooperationis exigentiam et ex parte Dei benevolam eiusdem concessionem ulterius procedunt ad determinandum, qualis fuerit et in quo constiterit illa provida Dei cooperatio? — quod ut efficant iam ad s a c r a m S c r i p t u r a m recurrunt. — Itaque hucusque disserebatur ratione nunc fit transitus ad sacras Scripturas seu ad revelationem.

Cum russi Scriptura sacra duce generatim ostendere volunt, quae fuerit providae Dei erga primum hominem relationis indoles, eam p a t e r n a m e d u c a t o r i a m q u e s e u p a e d a g o g i c a m dicunt paternam, ut largum Dei amorem erga hominem indicent, paedagogicam vero, ut monstrent providentialem illam Dei cooperationem praecipue (immo vero fere exclusive) hominis educatione constitisse, Deum providum erga primum hominem imprimis paedagogi praeceptoris, moderatoris etc. vices gessisse [2].

Svietlov eo usque sagacitate procedit, ut etiam methodum, quam Deus cum hominem erudiret secutus est, determinare non dubitet: «Deus, inquit ille, educabat protoparentes, cum daret eis praeceptum et invitaret Adam qui nomina animantibus imponeret. Quod nihil aliud est nisi symbolica seu allegorica Dei

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 404.

[2]) Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 124: «Въ такихъ живыхъ и жизненнопромыслительныхъ, такъ сказать, отечески воспитательныхъ отношеніяхъ къ первымъ людямъ изображается Господь въ Откровеніи». — Свѣтловъ, op. c. II, § 56; — Макарій. Богослов. § 85; et alii.

actionum repraesentatio, quae in primo casu moralem, in altero intellectualem hominis educationem spectabant. — Dixerim intellectualem instructionem in paradiso factam esse methodo, quam vocant intuitivam» [1]).

4. Illa vero paterno educatoria seu paedagogica Dei providi cura hisce constitit testante s. Scriptura:

1) Deus posuit hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum (Gen. 2, 15) [2]).

a) «Et nunc, inquit Silvester, locorum amoenitas vivifice ac benefice agit in hominis animum, cum necessario altum pulchri sensum in eo excitet atque efficiat, ut is ad perfectissimum universi artificem pia mente consurgat. Multo magis benefice debuit in primum hominem, qui plane incorruptis esset viribus, agere ille imprimis pulcher locus, qui speciali Dei providi cura plantatus erat, hortus Edem; b) officium vero, quod homini iniunctum erat, colendi operandique horti, provocando ad laborem, ut per se patet, multum quoque conferre debuit ad excitandas evolvendasque cum physicas tum spirituales hominis vires; c) pariter et id ipsum, quod homo paradisum custodire debuit, non potuit non excitare et non firmare conscientiam praecipue illius quae ei in terris competabat dignitatis; quae omnia, fieri non potuit, quin

[1]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 50.

[2]) Catechismus ad quaestionem, utrum paradisus ille fuerit spiritualis, an materialis? — respondet: «Corpori materialis sicut visibile beatumque habitaculum; animae autem spiritualis sicut status benedictitiae cum Deo communionis et spiritualium creaturarum contemplationis». Катих. ч. 1, о. 1. чл. p. 24.

sine ullo momento in spirituali hominis evolutione essent» [1]).

2) Dominus Deus adduxit animantia ad Adam, ut videret quid vocaret ea (Gen. 2, 19). «In hoc iterum non possumus, quin vel maxime vivificam et paternam educatoriamque Dei cooperationem non videamus, quam Ille praestabat homini in spirituali sua evolutione nempe in evolutione et conscientiae sui et cognitionis et doni sermonis. Manifestum est Deum non alio fine animalia, quae vocarentur, ad hominem duxisse, nisi ut hac ratione et modo provocaret atque confirmaret in homine conscientiam regiae illius dignitatis qua ceteris creaturis praecellebat, simulatque ut cogeret hominem tum ad tentandum manifestandumque, quid suo intellectu in rebus cognoscendis posset (h. e. quae vis sui intellectus esset), tum ad prodendum illud quod a cogitatione inseparabile est sermonis donum. Sed notandum est Deum non reliquisse hominem in hoc negotio sine sua ut Moderatoris et Educatoris cooperatione; assistebat enim et invigilabat, quomodo homo inderet nomina, quod vero fieri non potuit, quin in hominis cognitionem et cogitationem non exerceret salutarem influxum» [2]).

3) Pariter non praetermisit Deus, quin et ad moralem evolutionem ac profectum occasionem homini praestaret et facultatem, cum positivum praeceptum dedisset, ne de ligno scientiae boni et mali comederet (Gen. 2, 17). «Si praeceptum, inquit Svietlov,

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 404; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 124; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 220; — Филаретъ Черн. op. c. I, § 133, p. 204.

[2]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 405; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 221; et alii.

non ad exercendam Adami et Evae voluntatem neque ad eos probandos datum est, ad nihil est datum» [1]). Brečkevič considerat hoc praeceptum ut primum et initale obedientiae pensum [2]). De educatorio eius momento fuse Macarius loquitur [3]).

Ratione arboris scientiae boni et mali solet etiam a theologis quaeri, noveritne primus parens, quid bonum esset et quid malum? Licet etiam apud alios quosdam indicia occurrant, expresse tamen et continuo solus Svietlov id negat [4]). Ceteri vero theologi eique gravissimi diserte docent primum hominem iam

[1]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 56.

[2]) Бречкевичъ, op. c. I, p. 221.

[3]) Макарій. Богосл. I, § 86, p. 473—476; — Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 405.

[4]) Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 50, 51, 56, 57 sq. — Cui rei documento vel optime potest esse auctoris explicatio, cur peccatum sit protoparentibus imputatum? «Sed quaerat quis, inquit, si Adam et Eva in statu ignorantiae seu innocentiae peccaverint, cur peccatum sit eis imputatum? Profecto peccatum in statu ignorantiae et innocentiae a protoparentibus commissum est. Cui rei documento est, quod illud non statim excitavit Dei iram; quod patet ex illa Adami et Evae amore plena Dei deambulantis voce, quam Deus ediderat, ut eos converteret. Quae protoparentum conversio admodum facile fieri poterat; nam eorum peccatum non erat quaedam in Deum inobedientia quae cum sui conscientia esset commissa. — Verum obstinatio in peccato, impoenitentia fuit ratio, cur peccatum eis tribueretur. Quae obstinatio, cum iam Adam et Eva bonum et malum cognovissent et ex infantibus adulti essent facti, iam nullo modo excusari poterat. Itaque culpa eorum non in eo sita est, quod scivissent Dei praeceptum de fructu non comedendo et transgressi essent, sed in eo quod, cum transgressi essent praeceptum, in suo delicto animo perseverarent obstinati. Illi noverunt quidem praeceptum (nimirum factum, eius existentiam), sed cum boni et mali non habuis-

novisse, quid bonum et quid malum esset. Etenim saltem id cum Macario admittendum est «conscientiae primi hominis totam legem moralem aliquo modo impressam esse» [1]).

4) Deus permisit homini, ut ex omni alio paradisi ligno comederet (Gen. 2, 16). Quod iterum maximi erat momenti non solum quantum ad physicum sed etiam quantum ad spiritualem moralemque hominis profectum. Harum enim arborum usus, cum corpori sanam et bonam praeberet escam, hominis vires renovabat et confortabat. Vigente autem corpore et anima optime se habuit; etenim optime corpore tanquam instrumento et medio ad suum profectum uti potuit [2]).

Sed maximus valor ligno vitae (Gen. 2, 9) tribuitur, quod a pluribus veluti canalis gratiae divinae consideratur vi cuius homo potuit non mori.

Ceterum quaestio de immortalitatis dono valde intricata est apud russos theologos. Praesertim difficile cognitu est, quid naturae hominis in hac re, quid vero Dei providi curae tribuant? [3]). Si tamen totum russorum systema prae oculis habeatur simulatque omnia, quae ipsi hic illic sparsim de hac re dicunt, simul comprehendantur, eorum doctrina videtur esse

---

sent experientiam, plane id intelligere non poterant; quapropter er facile fuit maligno spiritui, ut Evam seduceret» (l. c. p. 56—57). Cuius doctrinae etiam apud alios indicia quaedam occurunt; vid. Лебедевъ, Ал. протоiер. Разности вь ученiи о Пресв. Дѣвѣ. Варшава. 1881, p. 160: «онъ еще не подозрѣвалъ зла» — «ille nondum suspicabatur malum»; conf. quae supra, p. 130—133.

[1]) Макарiй. Богословie. I, § 86, p. 473.

[2]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 405—406.

[3]) Vide quae praecedendi capite diximus, p. 113—115.

haec: Homo prodiit e manibus Dei natura immortalis h. e. ad immortalitatem destinatus, pariter et ipsa natura ad eandem assequendam aptus, ipsa natura immortalitatis pignus seu semen in se habuit; sed ipsam immortalitatem homo assequi non potuit nisi sub certis quibusdam conditionibus: Ex parte Dei providi requirebatur cooperatio, quae in eo constabat, quod homini communicabatur quaedam gratia seu quaedam vis superna, qua agente h. e. sustentante et adiuvante ille potuit non mori; veluti canalis huius vis supernae erat lignum vitae. Ex parte vero liberae hominis voluntatis requirebatur activitas quaedam: liberum scilicet propositum atque industria observandi praecepti: «de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas» (Gen. 2, 17).

Itaque immortalitas partim ex natura hominis repetitur, partim ex Dei providentia sive gratia, partim ex hominis industria. Tria sunt, quae ad efficiendam immortalitatem concurrunt: 1) hominis natura (verius Deus Creator, qui homini dat talem naturam), 2) Dei providentia, 3) libera hominis voluntas. Ex natura repetitur aptitudo et exigentia immortalitatis, ex providentia ipsa potestas non moriendi, ex libero hominis proposito consecutio immortalitatis; paucis: naturae tribuitur potentia, providentiae sustentatio et aliqualiter etiam effectio, libertati conservatio immortalitatis. Quidquid est, id ipsum quod homo potuit non mori gravissimi theologi docent non ex aliqua corporis qualitate pependisse, sed ex Dei providentia, ex aliqua vi superna, quae usu ligni vitae communicabatur[1]).

[1]) Макарій. Богосл. I, § 85, p. 471—472; Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 405—406; § 57, p. 409—410; — Филаретъ, op. c. I,

5) Si Adam et Eva, etiam postquam lapsi sunt, audierunt vocem Domini Dei deambulantis in paradiso auram post meridiem (Gen. 3, 8), supponendum est Deum etiam ante lapsum saepe saepius protoparentibus apparuisse atque cum eis collocutum esse, ut instrueret eos et educaret in omnibus quae ad intellectualem et moralem evolutionem ac profectum necessaria essent. Documento huic rei et exemplo cita-

---

§ 131, p. 202, adn. 74; § 133, p. 205; Iuxta quem Adam proprie non erat immortalis sed tantummodo immunis a necessitate moriendi: «Cum ss. patres dicunt Adamum fuisse immortalem, nihil aliud volunt notare nisi Adamum propria opera in amore Dei se perficiendo atque hoc modo divinam vitam sibi appropriando demum potuisse pervenire ad plenam vitae fruitionem, ad impossibilitatem moriendi» (§ 131, p. 202, adnot. 74). Itaque immortalitatem ponit auctor ut finem ad quem homo tendere debuit, qui assequendus erat sensim sensimque. Confer de hac re Bai prop. damn. 6, Denzinger, 886. — Causa vero, cur russi in doctrina de immortalitatis dono, dum determinare volunt, quid naturae sit tribueudum et quid gratiae, saepe dubii haereant? — aliquam partem videtur esse canon Concilii Carthag. qui eorum libris symbolicis continetur: "Ηρεσεν ἵνα, ὅστις λέγει τὸν 'Αδὰμ τὸν πρωτόπλαστον, ἄνθρωπον θνητὸν γενόμενον οὕτως, ὡς, εἴτε ἁμαρτήσοι, εἴτε μὴ ἁμαρτήσοι, τεθνήξεται ἐν τῷ σώματι, τοῦτ' ἔστιν ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ σώματος, μὴ τῇ ἀξίᾳ τῆς ἁμαρτίας, ἀλλὰ τῇ ἀνάγκῃ τῆς φύσεως, ἀνάθεμα εἴη». Πηδαλιον can. 120, pag. 424; — Книга Правилъ. прав. 123, pag. 231—232. Hisce ultimis canonis verbis innixi aut saltem ad ea alludentes russi polemistae videntur catholicis crimini dare, quod docent Adamum gratia fuisse immortalem et non natura. Vid. Никанорь, архіеп. Херсон. и Одесск. Бесѣда СПБ. 1889, p. 62 sq. Ceterique polemistae; pariter Δαμαλας. Περι 'Αρχων. p. 67. Attamen alii plures theologi eique gravissimi positis ponendis ex gratia deducunt potestatem non moriendi; et etiam in ipso Πηδαλίῳ in Ἑρμηνείᾳ pag. 425 immortalitas ex gratia repetitur; pariter et in adnotatione ibidem pag. 424 dicitur: «λοιπὸν ὁ Θεὸς φύσει ἀθάνατος ὤν, οὕτως

tur etiam Sirach 17, 6—11 [1]. «Hac ratione, inquit Macarius, Deus ipse erat primus nostrorum protoparentum educator et magister» [2].

Hac occasione nonnulli etiam de revelationibus, quibus Deus protoparentum mentes illustrabat eosque es fidei edocebat, loquuntur. Quidam istas revelationes etiam supernaturales appellant. Sed notandum est eorundem theologorum sententia supernaturalem revelationem non distingui a naturali nisi modo, quo communicatur, et obiecto, quod continet; respectu vero habito hominis etiam innocentis neutra supra naturalem eius exigentiam ponitur; homo ipsa natura, qua rationalis est, aeque utramque desiderat, postulat, exigit; atque Deus, nisi quod naturale est frustra esse et perire vellet, benevolus huic hominis indigentiae subvenit. Praeterea supernaturalis nomine a plerisque nihil aliud intelligitur nisi suprasensibile; intellectus non habet organum speciale, quo veritates quae supra internum vel externum sensum sunt attingat, velut existentiam Dei, immaterialitatem animae etc.;

ἔκτισε καὶ τὸν ἄνθρωπον ἀθάνατον χάριτι»; quamquam in eadem adnotatione p. 425 non omnino recte relatio immortalitatis ad naturam hominis ut naturam intelligitur: Ὁδὲ Κορέσσιος θαυμάζω, dicitur, πῶς εἶπεν ὅτι ὁ Ἀδὰμ ἦτο φύσει φθαρτὸς κατὰ τὸν λόγον τῆς ὕλης, ἢ τινι στέρησις καταπέπηγε, καὶ κατὰ τὸν λόγον τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ καὶ ὑγροῦ τῶν στοιχείων». — Neque parvam difficultatem in hac re atque confusionem parit quoque principium, quod a theologis saepe repetitur, hominem non potuisse e manibus Dei prodire cum aliquo defectu. Mors autem defectus est, sequitur, ut homo ipsa natura esse immortalis debuerit. Sed ex altera parte quomodo id cum natura corporis ut corporis componi potest? Atque haec est ratio cur russi vacillent in hac re nec satis clari sint.

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 406; et alii.

[2]) Макарій. Богослов. I, § 85, p. 468.

sine hisce veritatibus religio subsistere non potest; ergo necesse est, ut illae a Deo revelentur [1]).

Sed non solum ad depingendum Dei predagogatum erga primum hominem russi utuntur illis s. Scripturae textibus, quos supra attullimus: Gen. 3, 8 et Sirach 17, 6—11. Nonnulli eis innixi quandam specialem relationem familiarem seu consuetudinem fuisse inter Deum et hominem ponunt, quam ut plurimum nomine communionis (общенie, обращенie) vel etiam communionis immediatae et personalis designant [2]).

---

[1]) De hisce russi in suis theologiis fundamentalibus fuse loquuntur, cum de religione seu foedere inter Deum et hominem, pariter cum de revelatione et praesertim de necessitate eiusdem agunt. Vid. Макарій Введенie въ Прав. Богосл. Изд. 6, СПБ. 1897, § 13, p. 26—27; Пятницкій. Введенie въ Прав. Богосл. Ставрополь. 1893, § 11—12; § 16; Августинъ. Руководство къ Осн. Богосл. Изд. 3. Москва 1891, § 24, p. 70—76 et alii: — rectius videtur de revelatione sentire Рождественскій Христіанская Апологетика. Курсъ Основн. Богослов. Изд. 2. СПБ. 1893, II, p. 105—150; — De hisce confer quae supra variis notis diximus, praesertim pag. 135—137.

[2]) Рождественскій, op. c. II, p. 288. — Hoc nomine communionis russi nihil aliud videntur intelligere, nisi religionem originalem seu foedus quod inter Deum et primum hominem ipsa natura existere debuit. Quapropter fusius de hac re in Theologiis fundamentalibus agunt, cum de religione in genere sermo est. Vid. Макарій. Введенie. § 11—15; Пятницкій, op. c. § 5—10; Августинъ. op. c. § 5—8; § 17—18. Longum esset russorum doctrinam de hac re exponere; notamus solummodo russos non nosse videntur aliam religionem, aliud foedus nisi illud quod ipsa natura impellente, agente et, ut ita dicam, clamante inter hominem et Deum intercedere debet. Ratio enim illius unionis, ligaminis, communionis mutuae inter Deum et hominem ex una parte petitur ex imagine Dei in homine h. e. ex ipsa hominis natura rationali quae tota: tum instinctu, tum omnibus facultatibus fertur ad unionem cum Deo, ad foedus;

Nonnulli etiam de visione Dei facie ad faciem loquuntur [1]).

Praeterea Macarius hoc loco subiungit Adamum prophetiae quoque dono praeditum fuisse; hoc ille infert ex eo, quod Adam originem suae uxoris cognovit et propagationem generis humani praedixit (Gen. 2, 23—24). «Sine dubio, inquit, fieri non potuit, quin Adam haec omnia etquidem sic subito naturali quadam coniectura perspiceret explicaretque» [2]). Sed alii theologi, ut Philaretes Černig. Brečkevič, Svietlov negant Adamum haec ex quadam inspiratione cognita habuisse; eorum sententia Adam naturali instinctu seu vago quodam sensu eorum, quae in somno fiebant, ad hanc notitiam pervenit [3]). Alii demum theologi plane silentio praetereunt hoc factum.

Atque hisce constabat illa educatoria ac paedagogica Dei providi cura, quam Macarius [4]) sic paucis complectitur: «Ad exercendas evolvendasque corporis

ex altera parte fieri non potest, quin Deus hanc imaginem, quam impresserat, hoc naturale hominis desiderium, hanc tendentiam quam humanae naturae indiderat, inanem relinquat; ergo Deus, qua benignus et infinite bonus est, benevolus occurrit hisce creaturae indigentiis et exigentiis. Atque hac ratione religio seu foedus inter Deum et hominem constituitur.

[1]) Бречкевичъ, op. c. I, p. 222; — Антоній, архим. Догматическое Богословіе. Изд. 7. СПБ. 1862, § 158, p. 131. — Ceteri theologi non faciunt mentionem huius visionis, cum de statu protoparentum agunt. Quomodo vero eam Brečkevič et Antonius intelligant, incertum est; non declarant.

[2]) Макарій. Богосл. I, § 85, p. 472—473.

[3]) Филаретъ Черн. op. c. I, § 128, p. 197; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 196; — Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 58; conf. quae supra p. 104—106.

[4]) Макарій. Богосл. I, op. c. § 85, p. 468.

vires Deus mandavit Adamo, ut operaretur et custodiret paradisum (Gen. 2, 15); ad exercendas excolendasque tum **intellectuales eius vires**, tum loquendi donum ipse adduxit ad Adam omnia animantia, ut videret quid vocaret ea (Gen. 2, 19); ad exercendas et firmandas in bono **morales vires** praecepit Adamo, ne comederet de ligno scientiae boni et mali (Gen. 2, 17)».

5. Itaque ex omnibus quae spra diximus efficitur, ut russorum opinione Dei providi actio erga primum hominem praecipue, immo vero fere exclusive, in eo constiterit, quod Deus hominis evolutioni cooperaretur eum exercendo, instruendo, educando; providentia igitur reducitur ad cooperationem Dei. In qua, si rem subtilius indagari velimus, duo distinguere possumus, saltem apud Silvestrum et theologos qui eum sequuntur id negari non potest, excitationem scilicet et cooperationem [1]. Etenim hominis perfectio

---

[1]) Ceterum id quod Silvester eiusque asseclae hanc excitationem (пробужденіе) hunc externum influxum (внѣшнее вліяніе), hunc paedagogatum necessario requirunt, plane consonum est philosophicis eorum principiis, quibus nituntur: a) russi, nescio cur, naturam hominis, sicut ea e manibus Creatoris prodiit ante providam Dei cooperationem, considerant veluti plane inertem in se, passivam, incapacem sese actuandi solis propriis viribus sine speciali Dei providi cooperatione seu gratia; b) plerique traditionalismum, ut vidimus p. 135—136, profitentur. Itaque liquet, cur evolutionem hominis et progressum explicare nequeant nisi praesupposito hoc externo Dei paedagogatu, influxu, cooperatione. Силвестръ, op. c. III, § 58, p. 418—426; Гихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 129—133; — Пятницкій, op. c. § 34, p. 129-131; § 16, p. 59 sq.; — Августинъ, op. c. § 24, p. 70 sq.; — Тихомировъ, Курсъ Основн. Богословія. СПБ. 1897, p. 14.

›n erat nisi in germine, in potentia, erat evolvenda ntummodo; fieri autem non potest, quin creatura olvatur sine externo aliquo impulsu; ergo cesse erat ut hominis facultates imprimis excitantur, veluti somno excuterentur. Praeterea, cum eatura limitata sit et finita atque viribus imbecillis, iam progredi non potest, nisi Deo adiuvante cooperanteque. Utrumque Dei providentia praestitit hoini: excitationem et cooperationem. De hisce duobus ι tamen loquuntur russi, ut maximam vim in coope-.tione ponant; nonnulli non loquuntur nisi de coo›ratione.

6. Praeter haec, quae supra recensuimus, curaım genera et paterni amoris, quo Deus providus rimos parentes prosequebatur, apud Macarium [1]) est

---

[1]) Макарій. Богосл. I, § 85, p. 468—469. — Etiam Nikitski ι adnotatione: «Iuxta orth. Ecclesiae doctrinam, inquit, vere ɔrmalis (cum voluntate divina consona) moralis hominis vita ɔn est possibilis nisi cooperante divina gratia; quae idcirco pparet ut specialis quidam supernaturalis factor in hac eius ita», Porro conqueritur Nikitski, quod plures scriptores non ffirmant necessitatem gratiae nisi ad vitam moralem hoιinis lapsi, cum libri symbolici docent gratiam etiam hoıini innocenti, immovero et ipsis angelis necessariam esse. — aque haec gratia cum ex una parte a providentia communi istingui videtur, tum ex altera parte ad vitam normalem ecessaria esse affirmatur. In quonam haec gratia constiterit, ıctor non dicit. Vid. Никитскій. Вѣра. Москва. 1890, II, p. 7—8 lnot. 1; p. 31—32 adn. 1—2. — Δαμαλας Περι 'Αρχων. p. 66, pater affirmat necessitatem χάριτος βοηθούσης, sed negat primo omini opus fuisse χάριτι δικαιούσῃ. — Ceterum omnes admitınt necessitatem gratiae cooperantis; tota difficultas in eo st, utrum eam distinguant a naturali Dei concursu, an identificent?

etiam sermo de speciali quadam gratia, qua Ille homini succurrebat. «Ad firmandam, inquit ille, primi hominis voluntatem in bono et in genere ad eius profectum in vita spirituali Deus inde ab ipsa origine suam gratiam ei dedit; quae gratia continuo in nostris protoparentibus habitabat eratque eis vestis instar, ut ss. patres dicunt; atque per hanc gratiam Adam et Eva erant in continua cum Deo communione. Quod haec gratia tum primo homini tum in genere omni rationali creaturae necessaria est, antiqui patres ex una parte ex proprietate ipsius naturae harum creaturarum deducebant, quae, cum limitatae sint, per se subsistere non possunt, sed quidquid opus habent, a Deo accipiant necesse est; ex altera vero parte ex qualitate limitatae earum libertatis, quae ad eligendum et bonum et malum aeque apta est atque, ut eligere possit et facere bonum, gratiae cooperatione eget».

Itaque haec gratia, si in se spectetur, accedere videtur ad eam quam nos dicimus gratiam actualem cooperantem; non plane tamen, quia non ponitur supra exigentiam naturae creatae et ea continuo dicitur habitasse in protoparentibus [1].

---

[1]) Quominus praecise determinetur, de quanam gratia Macarius hic loquatur, difficultatem faciunt illa verba: «gratia haec continuo in protoparentibus inhabitabat eratque eis vestis instar». — Similia verba et apud Silvestrum occurrunt: Сильвестръ, op. c. III, § 57, p. 410 sq., sed nihil aliud volunt dicere nisi: hominem providentiali Dei cura fuisse undequaque circumdatum; etenim providentiam identificat Silvester cum gratia et alteram alterius loco ponit. Pariter illa verba: «protoparentes per hanc gratiam in continua cum Deo communione fuisse»

Quidquid est, Macarius hoc loco, quamquam includit hanc gratiam communi Dei providentiae, tamen a ceteris providentiae modis eam distinguere videtur. Sed idem Macarius cum de providentia Dei in genere agit, gratiae nomen identificare videtur cum providentiali Dei cooperatione generatim[1]). Ceterum cum ille simpliciter loquitur, non tribuit «gratiae» et «providentiae» nisi attributa cooperandi, auxiliandi, confortandi.

De Silvestro vero et theologis, qui eum sequuntur, omnino certum est: illi sicut omnia, quae relatione Dei Creatoris erga primum hominem comprehendunt, nomine naturae designant; ita et ea, quae relatione Dei providi complectuntur, nomine gratiae appellant. Apud Silvestrum providentialis cooperatio, providentialis actio et gratia sunt synonyma, ita ut promiscue usurpentur[2]). Dubium solum-

trum foedus originale seu religionem originalem quae saepe nomine communionis designatur, an aliquid aliud Macarius significet, incertum est. Nostra opinione hae et similes expressiones, si quae (quamquam admodum raro) hic illic vel apud Macarium vgr. Макарій Введеніе § 13, p. 28) vel etiam apud alios quosdam theologos (vgr. Перовъ. Руков. къ Облич. Бог. p. 48) occurrunt, non sunt considerandae nisi ut quaedam reliquiae quae vel ex ss. patribus vel ex antiquis libris symbolicis in modernam russorum theologiam irrepserunt. Moderni enim theologi huiusmodi expressiones proferunt velut inconscii, quin explicent; neque proferunt nisi cum ss. Patres vel libros symbolicos tangunt. Ceterum certum est modernos russos gratiam habitualem sanctificantem elevantemque non cognoscere, saltem cum de statu originali loquantur.

[1]) Макарій. Богосл. I, § 96, p. 516 sq.

[2]) Силвестръ, op. c. III, § 58, p. 416—418; conf. id. § 57, p. 410; pariter cum de angelis loquitur § 53, p. 378 sq.; — Тихвинткій, op. c. II, чтн. 10, p. 127—129.

modo est, utrum Silvester totam providentiam, quatenus et conservationem et cooperationem continet, et nomine gratiae complectatur, an eam proprie ad solam cooperationem restringat; hoc ultimum videtur probabilius esse. Quotiescunque enim simpliciter loquitur, Silvester sicut et ceteri theologi nomine gratiae fere ubique solam specialem illam providam Dei cooperationem designant.

In genere doctrina russorum de gratia primi hominis valde obscura est et manca; cui rei documento esse possunt ipsa russorum dicta quae hic illic in decursu dissertationis attulimus. Si tamen omnia, quae hic illic sparsa occurrant, simul sumantur, russi nomine gratiae primi hominis seu specialis illius providae Dei cooperationis non intelligere videntur, nisi quendam concursum simultaneum, qui respectu concursus creaturae se habet ad instar concursus parallelli et quasi ab extrinseco, atque non est nisi cooperans et quidem non tam physice quam moraliter: instruendo hominem, educando, excitando expergefaciendoque eius facultates etc.

7. Nomina vero, quibus relatio Dei providi ad primum hominem designatur, praecipua sunt: providentialis cooperatio, auxilium; providentialis actio, confortatio; actio educatoria, paedagogica, paterna; vis Dei providi adiuvans, cooperans; gratia. Interdum haec actio providentialis dicitur supernaturalis vel donum supernaturale [1]). Cum autem ex altera parte

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 416—418; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 127—129. — Ex hoc iterum patet, quantum significatio terminorum apud russos fluctuet. Velut super-

relationem hominis ad Deum determinant, eam (providam cooperationem) appellant normalem.

8. Ergo cum homo ex una parte eximias corporis animique vires a Deo Creatore accepisset, ex altera vero parte benefica Dei provisoris cura, qui eius evolutioni cooperabatur, undequaque circumdatus esset, potuit in sua evolutione rapidos progressus facere.

Sed in hoc evolutionis processu neque ipse plane iners manere debuit; proprius quoque labor ac industria illi impendenda erant; et ipse ex sua parte operam dare debuit, ut adiuvante Deo proficeret [1]). «Homo originalis, cum tantis viribus esset praeditus, ad verum et bonum tendebat atque instinctu utrumque percipiebat; sed praeterea externus quoque paedagogatus requirebatur, quia evolutio hominis impossibilis est sine influxu externo; tandem etiam propria exercitatio et industria et labor, ut tendentiae illae instinctivae ad actualem perducerent perfectionem... — Itaque originalis perfectio tantum abfuit, ut ulteriorem hominis operam (activitatem) excluderet, ut praesupponeret eam et obligaret ad eam» [2]).

naturale modo cum extraordinario et miraculoso confundunt, ut in prolegomenis vidimus p. 32—34, modo sensu supersensibilis sumunt, cum de obiecto revelationis distinguendo agunt p. 153—155, modo loco providentialis ponunt, ut locis quos hic citavimus, modo id intelligunt, quod ad «imaginem» h. e. rationalem naturam veluti ab extra accedit, id quod acquiritur.

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 407; § 58, p. 417; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 126.

[2]) А. Тихомировъ. Курсъ Основн. Богосл. Изд. 2, СПБ. 1897, p. 66.

Quod cum russi exprimere volunt, dicunt primum hominem non potuisse suum finem attingere nisi propriis viribus adiuvante gratia, acquisitionem perfectionis pependisse ex suo libero proposito, ex sua voluntate, libertate, eum sanctitatem, iustitiam virtutem, scientiam propria industria acquirere debuisse.

Quaeritur quoque, quid providentiae seu gratiae et quid hominis industriae in hoc evolutionis processu tribuendum sit? «Profecto, inquit Silvester, in hoc processu praecipuae partes speciali illi providentiae dandae sunt; sed neque omnino negandae sunt partes quas libera hominis voluntas in hac re habuit» [1]. Et alio loco: «profecto, inquit, in processu spirituali hominis evolutionis praecipuae partes tribuendae sunt gratiae divinae et non homini, qui nondum sui ipsius determinationem et in bono confirmationem consecutus est; sed nefas quoque est dicere hominem in hoc processu ex suapte parte nihil participasse. Etenim gratia divina non alicui alteri dabatur, sed illi ipsi, neque alio fine dabatur, nisi ut ille ipse et non aliquis alius eam susciperet, atque ut, dum ea utitur, ille ipse et non aliquis alius eius loco evolveretur ac cresceret in sua vita spirituali» [2]. «Tantum abest, inquit Philaretes Čern., ut provisor impediat creaturae libertatem, ut normali eius evolutioni cooperetur; creata libertas manet agens et provisor

[1]) Сильвестръ, ор. с. III, § 56, р. 407; — **Тихвинскій**, op. c. II, чтн. 10, р. 126.

[2]) Сильвестръ, ор. с, III, § 58, р. 417; — **Тихвинскій**, op. c. II, чтн. 10, р. 128.

ıntummodo adiuvat eam in bona eius via»[1]). Generatim ım russi partes quas providentia seu gratia in primi ıminis evolutione habuit exprimunt, non loquuntur si de cooperatione, auxilio, confortatione.

Quidam theologi, ut Silvester et Lebedev, etiam aestionem de nexu, qui inter naturam primi homi- ı et gratiam existebat, tangunt: «Gratia protoparen- us, inquit Silvester, tantum necessaria erat, quantum nen ad videndum, aër ad respirandum»[2]). Et Lebedev stquam de hominis perfectione egit, «per se patet, [uit, hominis naturam, cum non esset nisi hac germine) perfectione, indiguisse divina gratia, ut sanum hominem indigere cibo et aëre. Non licet nen, ut gratiam et perfectionem in ea causali in- ;em dependentia fuisse ponamus, in qua earum xus et relatio ad invicem fuisse a latinis theologis elliguntur. Nos perfectionem et gratiam sumimus paratim: perfectionem per se et gratiam per se; ıilominus altera ad alteram erat in mutuo, arcto, cessario nexu; neque perfectio potuit perma- re perfectio sine gratia, sicut nec sanitas hominis e puro aëre et bono cibo, sed neque gratia potuit minem ad beatitudinem ducere sine perfectione na- ·ae, sicut nec purus aër nec bona alimenta pos- nt a morte salvare hominem, si corpus eius iam sum et mortifera decompositio iam in eo sit coepta»[3]).

---

[1]) Филаретъ. Черн. Богосл. I, § 98, p. 150.

[2]) Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 417.

[3]) Лебедевъ. Ал. Разности въ учен. о Пресв. Дѣвѣ. op. c. 161. — Praecipue polemistae crimini vertunt catholicis, od hi veluti totam hominis perfectionem ex gratia pepen- ıse affirment. Quae obiectio, ut patet, fundatur in male in- lecta doctrina catholica quae nexum illum quem ponit inter

Itaque inter gratiam et naturam statuitur nexus ... cuiusdam naturalis ex utraque parte provenientis ... necessitatis, exigentiae atque mutuae dependentiae ...

9. Itaque primus homo, ut vidimus, erat omnibus ... instructus, quae ad rapidam sui evolutionem neces- ... saria essent. Sed quaeritur, inceperitne haec evolutio ... io Russi affirmant; signant enim prima eius initia: homo ... suam mentem iam dirigit in Deum, eius voluntas iam ... subiecta est Deo cum infantili simplicitate, corde serva... at ille puritatem et innocentiam, non erubescit enim ... [1].

gratiam sanctificantem et dona praeternaturalia praeprimis e... ex institutione divina repetit. Quae vero a Lebedev affirmantur, rationem et explicationem habent in tota russorum doctrina. Id solummodo mirum, quomodo posito hoc principio possibilitatem redemptionis (seu potius ἀποκαταστάσεως) affirmare possint aut omnino admittere? Etenim affirmant peccato naturam esse corruptam, destructam; profecto concedunt homini etiam post lapsum aliquas boni reliquias inesse; sed si is est nexus inter naturam et gratiam quem Lebedev affirmat, gratia non valeret istas reliquias boni nisi ad reliquias beatitudinis ducere non vero ad totam beatitudinem quae homini erat destinata.

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 407; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 126; — Свѣтловъ, op. c. II, § 41, p. 71—72 illam subiectionem hominis sub voluntate divina hoc modo exponit: «Spiritualis moralisque perfectio seu virtus consistit in conformitate (согласованіе) voluntatis humanae cum voluntate divina. Quae conformitas potest esse vel inconscia, non libera, veluti apud infantes, vel libera, conscia, rationabilis. Spiritualis moralisque protoparentum perfectio indolem perfectionis infantilis h. e. innocentiae prae se tulit. Bonae protoparentum actiones non potuerunt suam habere rationem seu fundari nisi in instinctibus incorruptae eorum naturae. Quod eorum vita cum voluntate divina conformis erat, id explicatur non eo quod primi homines libere et scienter talem elegerint vitam, sed solummodo virtute incorruptae eorum naturae».

Quantum vero homo processit in sua evolutione? Id certe non parum e temporis spatio pendere debuit, quo ille in paradiso commoratus est. Sed russi hanc temporis quaestionem ut plurimum silentio praetereunt; si vero tangunt nonnisi generatim, veluti iuxta Philaretem Čern. id tempus non tam breve fuisse supponendum est [1], iuxta Piatnicki contra non diuturnum [2], iuxta Svietlov protoparentes simulatque constituti sunt in paradiso et expulsi [3].

Quidquid est, Silvestri opinione admittendum est primum hominem iam possedisse quendam veritatum apparatum quae ipsi essentialiter necessariae essent; quia secus progressus generis humani nullo modo explicari possit; saltem affirmandum est hominem quaedam religiosarum et moralium veritatum semina a Deo accepisse; quia hae veritates a homine sibi relicto inveniri non possunt [4].

Ceterum cum in genere loquuntur, omnes russi conveniunt «primum hominem non fuisse nisi initio viae ad suum finem, non vero prope eum». «Ab homine, inquit Silvester, requirebatur non brevis aliqua sed assidua et indeflexa ad Deum tendentia, tendentia ad spiritualem moralemque Eius assimilationem ope sui confirmationis in bono seu ope acquisitionis sanc-

---

[1] Филаретъ Черн. op. c. § 133, p. 203, nota 1.

[2] Пятницкій, op. c. § 34, p. 131.

[3] Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 150.

[4] Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 420—426, vid. supra p. 135—137; Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 129—133; Пятницкій, op. c. § 34, p. 129—131; et in genere eiusdem sententiae sunt, qui traditionalismum amplectuntur.

titatis; quod autem non aliter potuit et debuit attingi nisi via probationis et laboris» [1].

Hoc tamen non obstante primus parens beatam ac felicem egit vitam, cum optima conditione esset respectu habito sive Dei, sive sui ipsius, sive rerum naturae [2].

10. Quod cum russi exprimere volunt, etiam statum primi hominis statum beatitudinis ac felicitatis seu statum summae sufficientiae, affluentiae (довольства) appellant [3].

Cum vero prae oculis habent specialem illam providentiam seu gratiam, qua Deus primo homini concurrebat, quamquam admodum raro, statum origiginalem etiam vocant statum gratiae (благодатный) [4].

Cum vero et illam Dei providi cooperationem et hominis ad sese evolvendum aptitudinem respiciunt, statum originalem dicunt statum celeris rapidaeque evolutionis ac progressus. «Protoparentum conditio, inquit Silvester, non erat conditio cuiusdam asperitatis seu tarditatis in vita spirituali; sed propter integram atque illaesam eorum naturam, propter specialem quoque Dei cooperationem eorum status erat status celerrimae atque harmonicae evolutionis et accretionis seu crescentiae (возрастанія) omnium eorum virium; etquidem evolutionis et progressionis, quae directe tendebant in praecipuum summumque eorum existentiae finem, in moralem Dei assimilatio-

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 407.

[2]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 408; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 198—199, et alii.

[3]) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 408.

[4]) Лебедевъ Ал. op. c. p. 161; — Катихизисъ, ч. 1, о. 1 чл. p. 24.

nem et arctiorem atque arctiorem cum Eo unionem» [1]). Haec formula optime videtur russorum menti respondere et ideae, quam de hominis conditione sibi finxerunt; a pluribus enim ad verbum repetitur; est veluti classica [2]).

II. Atque haec est doctrina russorum de Dei Providentia erga primum hominem. Sequitur, ut dicamus quid de eorum doctrina sentiendum sit?

1. Primum quod ipsum argumentandi modum spectat, russi sicut cum de hominis destinatione agunt ita et hic confundunt, ut ita dicam, librum naturae cum libro revelationis. Etenim necessitatem providentiae deducunt ex ipsa humanae naturae, ut naturae, conditione, praecipue ex conditione humanae libertatis, quae utpote limitata absolute indiget provida Dei cooperatione. Factum vero providentiae inferunt ex idea Dei infinite boni, qui exigentiae creaturarum correspondenti succurrit ratione. Hucusque liber naturae. Cum autem de ipso iam providendi modo determinando agitur, russi, loco ut ulterius sive hominis naturam perquirendo sive ideam Dei infinite boni naturali rationis lumine considerando procedant, transiliunt ad sacram Scripturam, ad librum revelationis atque iam eius lumine suffulti determinant, qualis fuerit et in quo constiterit provida illa Dei cooperatio? Quo fit, ut eorum syllogismi quatuor terminos contineant:

1) Ratio docet hominem vi naturae absolute indigere provida Dei cooperatione. Atqui s. Scriptura

---

1) Сильвестръ, op. c. III, § 56, p. 406—407.

2) Гихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 125; — Пятницкій, op. c. § 34, p. 34, p. 129; et alii.

testatur hanc cooperationem constitisse hisce atque hisce... Ergo...

2) Ratio docet Deum utpote infinite bonum naturali illi hominis indigentiae convenienti subvenisse ratione. Sed s. Scriptura teste providentia divina fiebat hisce modis... Ergo...

2. Deinde confusionem in argumentando consecuta est confusio in ipsa quoque doctrina. Atque russi ex una parte non distinguunt inter ea quae naturae humanae ut naturae ex parte Dei provisoris sunt, ut ita dicam, debita ac proinde naturalia et inter ea quae supra et praeter debitum et exigentiam ex speciali beneficio a Deo provisore humanae naturae superaddita sunt ac proinde indebita et gratuita, praeter vel supernaturalia. Ex altera parte confundunt providentiam ordinis naturalis cum providentia ordinis supernaturalis. Enimvero ex analysi humanae naturae affirmant hominem absolute indiguisse providentiali Dei cooperatione; ex s. Scriptura autem describunt, quae fuerit haec cooperatio. Sed quaeritur, utrum cooperatio quam natura exigit et cooperatio quam s. Scriptura narrat, ut ita dicam, convertantur necne? seu utrum quantum natura posceret tantum providentia praestiterit, an vero Deus provisor teste s. Scriptura non modo naturae indigentiae satisfecerit sed etiam aliquid plus, quod supra et praeter naturae exigentiam et indigentiam esset, attulerit? Quod si ultimum verum est, quid ex superabundanti illa Dei cooperatione naturae debitum, quid vero indebitum est? Quid ordinem naturalem, quid vero supernaturalem respicit? Haec russi non distinguunt, sed ne tangunt quidem. Appellant quidem aliquando hanc Dei providentiam erga primum homi-

nem «specialem»; hoc tamen epitheto utuntur non ut hanc providentiam alicui alteri puta communi, naturali opponant, sed nonnisi comparate ad creaturas irrationales, ut ostendant scilicet pluris esse Deo creaturam rationalem quam irrationalem, ac proinde Eum maiorem illius quam hujus gerere curam; hoc igitur exprimit illa vox «specialis» [1]).

3. Nulla vero posita distinctione inter naturae debitum et indebitum atque inter naturale et supernaturale nihil restat, quo determinari possit, quid ex illis donis, beneficiis, auxiliis, quibus sive Deus Creator sive Deus provisor hominem cumulabatur, nomine naturae, quid vero nomine gratiae designandum sit? Attamen necesse est haec distinctio ponatur, cum et ss. patres et s. Scriptura eam affirmant. Cui necessitati ut satisfieret, russi mero arbitrio usi omnia, quae relatione Dei Creatoris continentur nomine naturae, quae vero relatione Dei provisoris comprehenduntur nomine gratiae appellant. Quae igitur Deus Creator homini dat vel facit, quae homo in ipsa creatione accipit, dicuntur esse vi naturae, naturalia; quae vero Deus provisor largitur homini vel facit, quae ex providentiali cooperatione proveniunt, censentur esse vi gratiae, ex gratia: ita ut «creatoria» Dei relatio ad designandam naturam usurpetur, «providentialis» ad designandam gratiam; quapropter providentiae aliquando etiam epitheton «supernaturalis» additur [2]). Diximus russos hac in re arbitrarie pro-

---

[1]) Макарій. Богосл. I, § 96 et ceteri sive cum de providentia in genere agunt, sive cum de providentia speciali erga primum hominem disserunt; conf. supra prolegomena p. 21 sq.

[2]) Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 416—418.

cedere. Si enim eorum systema consideretur, nulla ratio assignari potest, cur id quod ex parte Dei Creatoris proveniat nomine naturae, id vero quod ex parte Provisoris nomine gratiae appelletur?

1) Quantum ad Deum Creatorem: Homo russoorum sententia vi suae rationalis naturae ad beatitudinem aeternam fertur neque quiescit nisi ea assecuta. Sed homo attingere hunc finem non potest nisi natura sit perfectus h. e. aptus ad eundem assequendum, ei suppar ac proportionatus. Ergo homo ut vi naturae beatitudinem aeternam ita et aptitudinem seu sufficientiam ad eandem exigit. Atque Deus, cum infinite bonus sit et sapiens, fieri non potuit, quin conderet creaturam aliquam imperfectam h. e. insufficientem, imparem fini, ad quem illa vi naturae fertur ac destinatur. Ergo Deus dedit homini illam aptitudinem, fecit eum sufficientem ac proportionatum suo fini, praedidit eum viribus ac facultatibus ad illum assequendum necessariis.

2) Quantum ad Deum providentem. Non obstante illa aptitudine, homo, cum, utpote creatus, finitus sit, limitatus atque deficere possit, cum eius perfectio nonnisi in germine seu in potentia sit, nullo modo evolvi neque ad suum finem progredi potest, nisi speciali Dei providi cooperatione accedente. Ergo homo sicut natura exigit finem ita et specialem Dei cooperationem sine qua ille finis attingi non potest. Atque Deus, cum infinite bonus sit et sapiens ratione convenienti occurrit huic hominis indigentiae. Etquidem iure merito quia secus Deus nec sapiens opifex nec bonus provisor esset; poneret homini finem, daret aptitudinem ad eundem, nulla vero media: hoc sup-

posito nonne et Dei Creatoris actio illusoria esset, ne dicam, puerilis.

Itaque in utroque casu eadem est naturae humanae exigentia: ibi aeternae beatitudinis et aptitudinis ad eandem, hic mediorum ad illam beatitudinem assequendam. — Pariter in utroque casu eadem Dei infinita sapientia et bonitas hominis indigentiae succurrit: ibi ponendo convenientem naturae finem ac largiendo aptitudinem seu sufficientes vires ad eundem, hic dando media, quibus ille finis attingi possit, seu praestando cooperationem suam providam. Quae igitur est ratio, cur potius haec quam illa Dei dona ac beneficia nomine gratiae designentur? [1]. Ex altera parte quod illud epitheton «supernaturalis» attinet, pariter nulla apparet ratio, cur illud potius Dei provisoris relationi ad hominem, quam Creatoris addatur, cum in utroque casu actio ab eodem Deo eadem ratione procedat atque eandem creaturam secundum eandem rationem respiciat?

4. Ex quibus efficitur, ut illa providentia, cooperatio illa provida proprie neque gratia neque supernaturalis dici possit. Ex una enim parte non ponitur supra exigentiam naturae et indigentiam; ex altera

[1]) Quae diximus vim suam retinent etiam respectu eorum sententiae, qui nomen gratiae restringere videntur ad providam illam Dei cooperationem, quae specialiter hominis voluntatem confortat atque iuvat, ut Макарій. Богосл. I, § 85, p. 468—469. Nam sicut alii generatim ex humanae naturae conditione ita Macarius ex naturali humanae voluntatis proprietate necessitatem gratiae deducit: ex eo nempe quod voluntas nostra natura sua limitata sit ac deficere possit, quod aeque ad eligendum bonum et malum apta sit. Eaedem scilicet ab utrisque rationes ponuntur cum hoc discrimine, quod Macarius eas speciatim ad voluntatem restringit.

vero parte illa naturae debetur a Deo utpote infinite bono et sapienti; ergo neque supernaturalis est neque gratuita. Atque re ipsa nihil aliud esse potest, nisi actio providentiae divinae naturalis, quae a catholicis modo praemotio modo concursus vocatur. Et quidem Silvester et qui eum sequuntur, cum gratiam primi hominis nominant, nihil aliud videntur hoc nomine subintelligere nisi hanc naturalem ac debitam seu, ut dicunt aliquando, normalem providam Dei cooperationem [1]. Aut saltem hanc gratiam, hanc specialem providam Dei cooperationem non probe distinguunt a naturali concursu; exigunt enim eam omnino ad omnem hominis evolutonem ac progressum; ea sic necessaria homini ad vitam et progressum dicitur sicut aër et cibus.

5. Si etiam supponamus hanc cooperationem esse distinctam a cooperatione naturali ac debita, esse quoddam adiutorium speciale ac gratuitum, quod ad adiutorium naturale ac debitum extra accedat, ut Macarius et quidam alii videntur admittere [2], non bene apparet ex russorum systemate, neque cur primo homini tale adiutorium neque ad quid necessarium fuerit? Nam sententia russorum primus homo iam ipsa natura sufficientibus eisque eximiis viribus praeditus erat ad suam destinationem adimplendam. «Sed homo, inquiunt, deficere potuit qua creatura finita ac limitata; sed eius perfectio non erat nisi in germine, in potentia». Esto. Sed huic naturali hominis

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 416—418; — Бречкевичъ, op. c. I, p. 198; Vid. quae supra in prolegomenis, p. 21—36, et cum de gratia sermo erat p. 156—160.

[2]) Макарій. Богосл. I, § 96, p. 516—516; § 85, p. 464—465; Vid. quae supra in prolegom p. 26—27.

indigentiae et exigentiae ex suppositis naturalis quoque illa conservatio ac cooperatio sufficere potuit ac debuit, secus Deus nec sapiens opifex nec bonus provisor dicendus esset. Neque satis bene apparet, ad quid illa cooperatio necessaria fuerit? «Ad bona opera, inquiunt, ad vitam vere moralem, ad spiritualem profectum, ad evolutionem». Sed si homo non potest assequi finem, ad quem natura sua destinatur, nisi bona opera exercendo, sese evolvendo, ipsa quoque natura et media habere debet, quibus haec opera, hanc evolutionem perficere possit; secus mancus fuisset et imperfectus nec suo fini par ac sufficiens; hoc autem, ut ipsi russi dicunt, ideae Dei infinite sapientis adversatur. Ergo et huic exigentiae ex suppositis debuit naturalis illa providentia subvenire.

Alii theologi, ut Svietlov, cum quaeritur, ad quid illa specialis cooperatio provida necessaria fuerit? respondent haec: «Finis, ad quem homo vocatus est, est infinitus: «assimilatio scilicet Deo, perfectio infinita: «estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est» (Matth. 5, 48); sed homo non est nisi viribus finitis, imbecillis; ergo speciale Dei auxilium requiritur, ut is tanto fini par evadat» [1]. Sed primum infinitus finis nullus finis: «contradictio est [2]); deinde repugnat, ut infinita perfectio a natura finita aliquando attingi vel ei inhaerere possit; denique media debent esse fini proportionata, ac proinde

---

[1]) Свѣтловъ, op. c. I, § 32; Vid. quae de fine diximus supra p. 75—77.

[2]) Vide supra p. 76 adn. Hoc non de fine in se spectato dicimus; nam Deus, ut per se patet, infinitus est; sed de fine ut via et tendentia creaturae, ut eius perfectione subiectiva, quae infinita esse non potest.

illud auxilium deberet esse infinitum; sed finita creatura incapax est suscipiendae virtutis infinitae. Ceterum etiam illa infinita perfectio et Dei assimilatio neque supra exigentiam hominis naturae neque supra naturalem eius tendentiam ponitur; sed tantummodo supra vires quae debiles ac imbecillae sunt. Quapropter illud auxilium seu gratia neque plane supernaturalis est neque indebita; atque non est nisi corroborans, confortans, adiuvans, nunquam vero elevans habitualis.

Quidquid est, russi theologi, sive qui distinguunt hanc specialem providentiam, hanc cooperationem seu gratiam a naturali providentia ac cooperatione, sive qui non distinguunt, sive qui hoc sive qui illo modo eius necessitatem explicant, omnes in eo conveniunt, quod hanc gratiam neque supra exigentiam humanae naturae et indigentiam ponunt, neque ut plane indebitam naturae considerant; sine qua scilicet homo vel subsistere vel modo, qui suo fini correspondeat, operari possit. Porro omnes non tribuunt huic gratiae nisi munus sustentandi hominem atque praecipue eius evolutioni ac profectui cooperandi; nunquam vero elevandi vel sanctificandi.

6. Profecto cum russi de providentia erga primum hominem agunt vix mentione facta conservationis seu sustentationis toti sunt in narranda affirmandaque cooperatione. Gratiae enim quam nos dicimus habitualem seu iustificationis nullus in illorum systemate relinquitur locus, sive illa ut elevans hominem h. e. ex statu naturali in statum supernaturalem, ex conditione servili in conditionem filiorum Dei ac gloriae haeredum eum transferens respicitur, sive ut sanctificans h. e. naturali hominis bonitati ac

perfectioni supernaturalem addens formam quandam seu qualitatem, vi cuius homo formaliter iustus efficitur, pulchritudine quadam coelesti perfunditur, veluti deificatur. Nullus est locus gratiae elevanti; siquidem ultimus hominis finis, beatitudo scilicet aeterna, cuius culmen visio Dei facialis est, neque supra exigentiam humanae naturae neque supra potentiam seu aptitudinem, perfectionem ponitur. Quid ergo elevatione opus est, cum ipsa iam natura proportio inter hominem et eius ultimum finem — beatitudinem aeternam existit? Sed etiam sanctificatio superflua est. Homo enim ipsa natura sine peccato, purus, rectus, innocens fuisse, cum e manibus Dei prodiisset, affirmatur. Quod iam sufficere censetur ad illam hominis ad Deum ut filii ad patrem relationem, ad illam intimam communionem, religionem seu foedus inter Deum et hominem. Itaque si systema russorum consideretur elevationi nullus datur locus, sanctificatio vero superflua est. Atque russi theologi, quamquam directe non impugnant nostram gratiam sanctificantem habitualem, quam nos etiam primo homini necessariam fuisse credimus; verumtamen silentio eam praetereunt; immo vero non solum non cognoscunt eam sed etiam ne posse quidem intelligere videntur, quid illa sibi velit, ut supra exposuimus [1].

7. Exclusa gratia sanctificante sequitur, ut neque de virtutibus infusis sive theologicis sive moralibus neque de donis Spiritus sancti sermo esse possit. Si virtus infundi non potest, neque scientia: eadem ratio est. Atque re ipsa theologi russi, ut diximus, alii silentio praetereunt, alii expresse negant scientiam

---

[1]) Vide supra p. 118.

vel virtutem infundi posse. Sed ex altera parte eidem theologi traditonalismo innixi affirmant neque progressum generis humani neque donum sermonis explicari posse, nisi supposito hominem quendam veritatum apparatum simulatque loquelam a Deo accepisse. Sed quomodo homo illas veritates accipere potuit? Certo non infusione, quae naturae liberae repugnaret; neque propriis viribus inveniendo, cum russorum sententia neque intellectualis neque moralis hominis evolutio sine aliquo externo influxu possibilis esset. Influxus autem creatae rerum naturae huic rei impar est [1]. Quid igitur reliquum erat, nisi ut ipsum Deum paedagogum hominis atque educatorem facerent, nisi ut supponerent Deum ope conversationis, more patris ac paedagogi instruendo atque educando tum necessarias veritates homini communicasse, tum in exercendas virtutes eum induxisse. Ex hisce liquet, cur russi tantopere illum Dei paedagogatum affirment ac describant? cur instructionem et educationem veluti notas distinctorias divinae erga primum hominem providentiae statuant? ita ut cum veluti indolem illius providae Dei cooperationis designare velint, eam simpliciter educatoriam ac paedagogicam appellent [2].

Haec quae diximus sufficere oppinamur ad russorum de providentia erga primum hominem et gratia doctrinam cognoscendam intelligendamque.

---

[1]) Vide supra p. 137 adn.

[2]) Ex quibus efficitur, quomodo russi revelationem, quam etiam primo homini necessariam fuisse hic illic aliquando affirmant, intelligere debeant? Necessitatem vero revelationis, ut exposuimus, communiter ope traditionalistarum dogmatis demonstrant; sed aliquando etiam positivismi principiis innixi procedunt. Docent enim hominem non posse certa

8. Itaque russi, ut vidimus, cum rationalismo indulgeant, sic ubique procedunt, ut imprimis rationis principia, quae sive ex humanae naturae conditione sive ex idea Dei infinite sapientis et boni deducunt, ponant atque eis veluti fundamentis innitantur. Verumtamen cum neque Sripturam sacram neque Traditionem plane spernere audeant, earum doctrinam principiis suis rationalisticis student accomodare; revelationem, si ita loqui fas est, ubique intra ambitum sui rationalistici systematis intrudunt. Ex quo mira illa cum in terminologia, tum in doctrina confusio exoritur; ita ut et ad cognoscendum exponendumque et ad intelligendum diiudicandumque, quid illi sentiant, difficillimum sit.

III. 1. Post haec quae disseruimus manifestum esse censemus, in quonam russi recedant a catholicis, cum de providentia seu gratia primi hominis agatur? Princeps differentia, ut patet, in eo est, quod russi non ponunt elevationem hominis in statum supernaturalem. Eorum enim systema excludit gratiam sanctificantem habitualem. Hac subtracta neque de virtutibus infusis neque de donis Spiritus sancti neque de scientia infusa sermo esse potest. Atque hac ratione totus ordo supernaturalis, in quem nos primum hominem gratia sanctificante elevatum esse credimus, ruit.

---

cognitione assequi nisi ea quae sensibus percipiat. Sed existentia Dei, existentia animae, eius immortalitas sunt veritates suprasensibiles. Ex altera autem parte religio sine eis impossibilis est. Ergo necesse est, ut Deus hasce veritates revelatione primo homini communicaverit; vgr. sic ratiocinatur: Пятницкій, op. c. § 16, p. 63; — Vide supra p. 135—137; 153—154.

2. Gratia vero illa quam russi admittunt potest quidem aequiparari gratiae quam nos actualem dicimus. Praeterea haec russorum gratia, cum eius necessitas non deducatur nisi ex naturali hominis defectibilitate et imbecillitate, cum ea non exigatur nisi ad conficiendum illud iter, quod hominem ad connaturalem sibi finem ducat, non versatur nisi in ordine naturali; quapropter, licet aliquando a russis supernaturalis vocetur, proprie et stricte sumendo non est nisi naturalis. Denique cum absoluta necessitas huius gratiae ad omnem omnino evolutionem hominis ac progressum affirmetur, ea cum naturali quem dicimus concursu commiscetur confunditurque; licet tamen iterum non desint, ut vidimus, apud theologos russos textus et loci, quibus haec gratia a naturali concursu distinguatur. In genere magna confusio et obscuritas regnat apud russos respectu huius gratiae, saltem cum de primo homine agunt; ita ut dictu difficile sit, in quonam russi respectu gratiae actualis vel discrepent a catholicis vel cum eis conveniant.

IV. Atque his claudimus caput de relatione Dei providentis erga primum hominem, quae in eo, ut vidimus, constabat, quod Deus sustentabat hominem atque eius evolutioni ac progressui speciali gratia cooperabatur exercendo eum, educando, instruendo; atque hac ratione ducebat eum ad ultimum finem.

Cum vero ad constituendam efficiendamque hominis conditionem non concurrerint nisi Deus Creator cum suis donis et Deus providens cum suis auxiliis, cognita perspectaque utriusque ad primum

hominem relatione, iam cognitum quoque habemus totum hominis statum originalem. Atque non restat iam nobis, nisi ut aliquibus articulis appendicum instar quasdam quaestiones tractemus, quae russorum doctrinam etiam magis vel illustrent vel compleant; id capite quod sequitur praestabimus.

CAPUT V.

APPENDICES.

I. STATUS INNOCENTIAE ET STATUS IUSTITIAE.

1. Cognitis perspectisque et donis, quibus Deus Creator primum hominem cumulavit, et auxiliis, quae Deus provisor ei praestitit, iam plenam habemus notionem, quae russorum opinione fuerit originalis hominis conditio sive quantum ad naturam, sine quantum ad gratiam? Quam conditionem cum russi velut uno verbo designare volunt, passim et communiter appellant statum *innocentiae*[1]).

2. Primus homo igitur constitutus est a Deo in statu innocentiae in quo tamen ei perpetuo *manere non licuit*, destinatus enim est, ut sese evolvendo sensim sensimque transiret in statum *iustitae*.

Quamquam non semper eisdem verbis, re tamen omnes russi distinguunt inter hos duos status: innocentiae (невинности) et iustitiae (праведности) seu sanctitatis (святости)[2]).

---

[1]) Vide supra p. 129.

[2]) Георг. Титовъ. Уроки по Катихизису. Изд. 2, СПБ. 1889. I, ур. 21, p. 112; — Никитскій. Вѣра. op. c. II, p. 32—33 adnot.;

3. Relatio, quam inter utrumque statuunt, haec est: Homo constitutus est in statu innocentiae, debet transire in statum iustitiae; innocentiam accipit ille a Deo, iustitiam debet ipse acquirere cooperante solummodo Deo. Innocentia igitur donum Dei est, iustitia effectus ac fructus humanae industriae et cooperantis gratiae. Innocentia est terminus a quo, iustitia terminus ad quem homo toto suae vitae cursu tendere debet; ergo innocentia veluti initium, iustitia veluti meta ac finis hominis conatuum est. «Homo, inquit Favorov, prodiit e manibus Dei perfectus quidem, sed nonnisi eo sensu, quod omnes vires atque media ad adimplendam suam destinationem accepit; perfectionem vero moralem ille, utpote creatura rationalis ac libera, ipsemet cooperante Deo acquirere debuit; seu quod idem est, e statu innocentiae debuit transire in statum iustitiae» [1].

«Homo, inquit Titov, cum e manibus Dei prodiisset, non erat perfectus nisi eo sensu, quod vires ac media ad suam destinationem adimplendam acceperat, ille non erat nisi in statu innocentiae; status autem innocentiae non est idem atque status iustitiae; huic assequendae seu, quod idem vult dicere, assequendae perfectioni in sensu iam adimpletae propriae destinationis, homo, qua creatura rationalis et libera, necesse erat, ut ipsemet operam daret adiuvante Deo» [2]. Similiter et ceteri. Quantum ad graecos,

---

Θаворовъ. Н. Чтенія о Догмат. Истинахъ. Изд. 2. СПБ. 1890, чтн. 8, p. 97; Филаретъ Черн. Богословіе. op. c. I, § 129, p. 198; Бречкевичъ, op. c. I, p. 196; et alli.

[1]) Θаворовъ, op. c. чтн. 8, p. 96.

[2]) Титовъ, op. c. I, ур. 21, p. 112.

pariter et Damalas distinguit inter κατάστασιν τῆς ἀθωότητος et κατ. τῆς πραγματικῆς δικαιοσύνης[1]. Quae cum russi figura exprimere volunt, «imaginem quidem, inquiunt, ab ipsa origine homo a Deo accepit, similitudinem vero ipsemet acquirere debuit propriis viribus adiuvante gratia toto suae vitae cursu ad eandem tendendo»[2].

4. Ex his consequitur, in quonam sub hoc respectu discrimen inter russos theologos et catholicos consistat?

---

[1]) Δαμαλας. Περι Ἀργων: «Ἐις ταύτην λοιπὸν κατάστασιν (scilicet τῆς ἀθωότητος) ὁ πρῶτος ἄνθρωπος... ἦν πρὸ τῆς παραβάσεως, ἅμα μὲν ἐξελθὼν τῶν τοῦ δημιουργοῦ χειρῶν ἀθῶος, καὶ ἀρνητικῶς μόνον δίκαιος· εὐθὺς δὲ ὅτε ἤργισε πορευόμενος εἰς τὴν ὁδόν, ἣν ὁ Θεὸς αὐτῷ προδιέγραψεν, ἔγεννε καὶ θετικῶς καὶ πράγματι δίκαιος, ἔχων ἐν ἑαυτῷ iustitiam originalem, ἤτοι πραγματικὴν δικαιοσύνην, ἥτις ἦν ἀποτέλεσμα τῆς τε θείας χάριτος καὶ βοηθείας... καὶ τῆς ἰδίας ἑαυτοῦ θελήσεως. Τὴν μὲν πρώτην τὴν ἐν τῇ ἀθωότητι κατάστασιν ῥητῶς μαρτυρεί ἡ Γραφή... τὴν δὲ δευτέραν τὴν ἐν τῇ iustitia originali μαρτυρεῖ ἐμμέσως» (pag. 66). — «Καὶ αἱ δύω ἐκκλησίαι (latina scilicet et protestantica) παραγνωρίζουσιν, ὅτι ὁ Ἀδὰμ ἅμα ἐξελθὼν τῶν χειρῶν τοῦ δημιουργοῦ, ἦν ἀθῶος, ἐπειδὴ ἦτο ὡς παιδίον, ὅπερ οὐδὲ ἓν βῆμα ἑκουσίως εἰς τὴν ὁδὸν τῆς ἀρετῆς, εἶχεν ἀκόμη κάμει. Τότε δὲ δύναται νὰ γείνῃ περὶ δικαιοσύνης λόγος, ὅταν τις ἀρχίσῃ νὰ βαδίσῃ ἐν τῷ ἀγαθῷ χάριτι τοῦ δημιουργοῦ καὶ ἰδίᾳ θελήσει, ὥστε μονομερῶς καὶ αὐθαιρέτως τὴν λέξιν iustitiam originalem ἀμφότεραι αἱ ἐκκλησίαι μετεχειρίσθησαν» (pag. 68). Itaque Damalas sicut et russi distinguit inter statum innocentiae et iustitiae cum hac tamen differentia, quod is, quidquid est, iam collocat primum hominem in statu iustitiae, cum russi iustitiam considerant ut metam, ad quam plane attingendam homo totius vitae cursu tendere debuit; sed iterum is convenit cum russis in eo, quod iustitiam intelligit ut effectum ac fructum adiuvantis gratiae et propriae hominis industriae.

[2]) Тихвинскій, op. c. II, чтн. 8, p. 102; vide quae supra de imagine et similitudine diximus p. 57 sq.

Profecto et catholici quaerunt, utrum protoparentes statim in ipsa creatione, an solummodo postea acceperint gratiam sanctificantem h. e. in sanctitate et iustitia constituti fuerint? Atque in duas abeunt sententias: cum alteri censent Adamum donis praeternaturalibus in ipsa quidem creatione ornatum esse, sed gratiam sanctificantem non accepisse nisi postea; alteri, quorum opinio communior est, cum s. Augustino tenent: «Deus simul erat in eis condens naturam et largiens gratiam» (De Civ. Dei XII, 5)[1]. Sed haec controversia non tam de tempore acceptae iustitiae est quam de dispositione hominis ad eandem suscipiendam. Ceterum sive qui dicunt Adamum in ipsa creatione accepisse gratiam sanctificantem, sive qui affirmant eum non esse auctum hac gratia nisi paulo post, neutri vel factum vel rem negant. Atque concilium Tridentinum cum et controversa praetire vellet et quae certa confirmare, definivit primum hominem in sanctitate et iustitia constitutum fuisse (sess. 5, c. 1), accepisse a Deo sanctitatem et iustitiam (sess. 5, c. 2), omissa quaestione temporis.

Itaque iuxta catholicos primus homo iustitiam et sanctitatem a Deo accepit, iuxta russos propria industria iuvante tantummodo Deo acquirere debuit; iuxta catholicos Adam iam est in sanctitate et iustitia, iuxta russos solummodo tendit ad eam. Catholici iustitiam concipiunt ut terminum a quo via Adae incepit, russi ut finem quo terminari debuit.

5. Totum discrimen in hac re, ut patet, reducitur ad diversum, qui ab utrisque habetur, iustitiae conceptum.

---

[1]) S. Thomas 1, q. 95, a. 1.

Russorum opinione iustitia est quaedam qualitas, quae ab homine propriis viribus adiuvante solum providentia divina acquiritur, est «ἀποτέλεσμα τῆς τε θείας χάριτος καὶ βοηθείας (h. e. χαρ. βοηθούσης)... καὶ τῆς ἰδίας ἑαυτοῦ θελήσεως» [1]); est igitur aliquid quod sensim ac pedetentim sui evolutione ac progressu efficitur, est veluti quidam partus totius vitae conatuum.

Catholicorum vero sententia homo gratia actuali adiutus tantummodo praeparatur, disponitur ad iustitiam [2]); ipsa vero gratia habitualis seu sanctificans, qua homo in iustitia constituitur, minime illa praeparatione efficitur, sed in instanti a Deo infusa accipitur. Gratia autem sanctificans habitualis est quaedam forma seu qualitas spiritualis divinitus animae infusa eique per modum habitus inhaerens. Haec gratia reddit hominem Deo gratum et iustum, perfundit eius animam splendore ac pulchritudine coelesti; constituit hominem fiium Dei et gloriae coelestis haeredem, immovero divinae naturae consortem; confert iustorum actibus dignitatem ac valorem merendae vitae aeternae: paucis elevat hominem e statu naturali in supernaturalem redditque eum proportionatum suo fini h. e. parem vitae aeternae assequendae.

Porro iustitia, quae sanctificationis gratia confertur, est quidem vera, non tamen summo gradu perfecta, absoluta; quapropter homo potest et debet in ea crescere, proficere; «qui iustus est iustifice-

---

[1]) Δαμαλας. Περι 'Αρχων, p. 66.

[2]) Primum quoque hominem, catholici plures docent, non citra dispositionem, quae tamen ex gratia actuali profecta esset, gratiam sanctificantem accepisse, non citra suae voluntatis consensum. S. Thomas 1, q. 95, a. 1, ad 5.

tur adhuc et sanctus sanctificetur adhuc» (Apoc. 22, 11). Dein homo gratia sanctificanti constituitur in iustitia, sed non firmatur; quapropter debet in ea firmari; quod cum ita sit, potest eam etiam amittere.

6. Quo fit, ut Catholici distinguant inter iustitiam et sanctitatem status viae et inter iustitiam et sanctitatem status termini atque cum docent primum hominem a Deo accepisse sanctitatem et iustitiam, illam, quae est status viae, non hanc quae est termini intelligant.

Russi vero, cum iustitiam veluti fructum ac metam totius humanae vitae conatuum considerent, non cognoscunt nisi eam quae solummodo in statu termini haberi potest. Quapropter non sumunt iustitiam nisi sensu perfectionis iam terminatae et absolutae, sanctitatis et virtutis firmatae; nisi sensu iam adimpletae destinationis; quocirca negant protoparentes in sanctitate et iustitia constitutos fuisse.

7. Ex his intelligi potest, undenam ortae sint et quid sibi velint variae incriminationes, quas russi contra catholicos faciant ob illa Tridentini verba: «Adamum in sanctitate et iustitia constitutum fuisse, sanctitatem et iustititiam a Deo accepisse» ? Cur videlicet catholicis adscribant eos veluti docere primum hominem prodiisse e manibus Dei cum perfectione iam terminata, absoluta neque ullius progressus capacem fuisse? Cur dicant catholicorum doctrinam repugnare hominis destinationi, neque subsistere posse cum lapsus facto [1]).

---

[1]) Vide supra p. 42—44; 46—49; 95—96; 116 sq.

8. Ceterum tum doctrina russorum tum obiectiones facile explicantur eo, quod illi non modo non agnoscant primo homini gratiam sanctificantem, sed ne cognoscant quidem, quid ea sibi velit. Ex altera vero parte cum et ss. patres et libri symbolici de statu iustitiae et sanctitatis loquantur, necesse erat, ut huic statui in ipsorum quoque systemate locus assignaretur aliquis [1]).

APPENDIX II.

PRAECIPUA RUSSORUM OBIECTIO.

I. Postquam cognitum perspectumque habemus, quid russi nomine naturae primi hominis et quid nomine gratiae intelligant: perspicuum erit, quid praecipua eorum obiectio, quam et contra catholicos et contra protestantes dirigunt, sibi velit?

1. Catholicis crimini vertunt, quod docent primum hominem iustitiam originalem beneficio divino et non naturae vi possedisse. «Medio aevo, inquit Silvester, auctore Anzelmo Cant., orta est singularis opinio, qua omnis hominis in statu innocentiae perfectio, quae iustitia et sanctitate constabat, totaliter

---

[1]) Cur distinguendum inter iustitiam et innocentiam? cur iustitia ut terminus ad quem sit ponenda? russi nullas dant rationes. Primum autem hominem in statu omnis perfectionis fuisse et sanctitatis in eorum libris symbolicis affirmari postea videbimus.

solis supernaturalibus gratiae actionibus adscribebatur atque mere donum supernaturale putabatur; quod vero hominem in se consideratum, qua Dei creatura est, attinet, independenter scilicet a donis divinis quae supra eum extrinsecus effusa sunt, in hoc casu eius status non erat nisi status purorum naturalium atque nihil essentialiter differebat ab eo statu in quo homo post lapsum invenitur» [1].

Protestantibus autem crimini dant, quod docent hominem iustitiam originalem h. e. omnem perfectionem naturae vi et non gratia possedisse. «Plane contraria, inquit idem Silvester, orta est opinio apud protestantes: Originalis hominis perfectio, quae iustitia et sanctitate constabat, tantum aberat, ut donum supernaturale esset, ut plane naturalis perfectio humanae naturae esset, quae e manibus Dei et ad moralem perfectionem et ad benedicticiam cum Deo communionem plane idonea prodiisset; qui erat status naturalis primo homini concreatus» [2].

Damalas sic paucis omnia complectitur: «Οὔτε λοιπὸν ἡ Λατινικὴ, οὔτε ἡ τῶν διαμαρτυρομένων ἐκκλησία ἐν τῇ ἀληθείᾳ εὑρίσκονται, ἰσχυριζόμενα ἡ μὲν πρώτη, ὅτι divino beneficio, καὶ οὐχὶ naturae ipsius vi ὁ ἄνθρωπος ἀκίνητος πρὸς ἁμαρτίαν καὶ ἀθάνατος ἦν (Catech. ex decr. Conc. Trid.) ἡ δὲ δευτέρα, ὅτι ὁ Ἀδὰμ propriis viribus

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 415; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 127; — Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 52—53; — Успенскій Ев. Обличителн. Богословіе. Изд. 2, СПБ. 1894, p. 39—40; Никаноръ арх. Бесѣда СПБ. 1889, p. 64—66; — Филаретъ Черн. op. c. § 129, p. 198.

[2]) Сильвестръ, op. c. III, p. 58, p. 415—416; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 128; et polemistae, cum contra protestantes pugnant.

(δλως ἀντίθετον τῷ τῆς Λατινικῆς ἐκκλησίας divino beneficio) poterat Deum diligere super omnia καὶ τοῦτο καλεῖ τὸ iustitiam originalem habere» [1]).

2. Si ergo et catholici peccant, cum Adamum iustitiam originalem beneficio divino, non vero naturae vi habuisse docent, et protestantes cum contrarium affirmant, in quo alterutrorum error sit atque quid tandem relinquatur, ut teneamus?

Silvester et Tichvinski hoc modo rem expediunt:

«Non est difficile perspectu, inquiunt, et catholicos et protestantes incidere in duo extrema; quod quidem ex eo provenit, quod alterutri cum originalem hominis perfectionem definiunt, non habent prae oculis utramque simul Dei ad primum hominem relationem cum creatoriam tum providentialem; sed non attendunt nisi ad aliquam unam ex his duabus relationibus neglecta atque exclusa altera».

«Theologi enim catholici omnem originalem hominis perfectionem ad solum Dei influxum providentialem supernaturalemque referunt; obliviscuntur autem pignora (et facultates) ad vitam deisimilem et communionem cum Deo data esse naturae hominis eo ipso, quod ad imaginem Dei creatus esset, atque consequenter propriis eius viribus contenta fuisse, etsi hae vires ad ulteriorem evolutionem suam atque profectum indigerent cooperatione virtutis Dei atque gratiae [2]). Quocirca etsi in spirituali hominis evolutione praecipue partes tribuendae sunt gratiae et non

---

[1]) Δαμαλας. Περι 'Αρχων, p. 67.

[2]) Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 128; — Сильвестръ vero op. c. III, § 58, p. 416 hoc modo eadem exponit: «Theo-

homini, cum is nondum sui ipsius determinationem et in bono confirmationem consecutus sit; minime tamen sequitur, ut etiam homo ipse nihil in hoc processu participaverit. Gratia enim divina non alicui alteri dabatur sed illi ipsi, neque alio fine dabatur, nisi, ut ille ipse et non aliquis alius eam susciperet atque ut dum ea utitur, ille ipse et non aliquis alius pro eo evolveretur ac cresceret in vita sua spirituali. Ex quo effecitur, ut minime verum sit perfectionem hominis fuisse mere externum Dei donum supernaturale aut naturam hominis abstractione facta a gratia originali fuisse plane eandem, quae esset post lapsum» [1]).

«Theologi vero protestantes e contra dum omnem hominis perfectionem ex sola eius natura, quae ad imaginem Dei creata est, derivant, non attendunt ad maximum illud momentum, quod continuae providentiales educatoriaeque Dei actiones, quibus homo inde ab ipsa origine circumdatus erat, in hac re habebant. Cur, quaeso, speciales illae providae Dei actiones in hominem directae fuerunt, si is natura sua perfectus fuisset atque per se ipsum iustitiam et sanctitatem

---

logi enim catholici, dum omnem hominis in statu originali perfectionem ad solam providentialem supernaturalemque Dei actionem referunt, non attendunt ad id, quod homo ad imaginem Dei creatus erat et quod propterea ipsa natura sua ad vitam deisimilem et communionem cum Deo destinatus erat; quorum pignora propriis eius viribus continebantur, quae quamvis possent et deberent non aliter evolvi et crescere ac solummodo virtute Dei et gratia cooperantibus».

[1]) Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 128—129; — Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 416—417.

consequi potuisset? Quae res nonne documento sunt eum natura sua nondum possedisse perfectionem plenam, sed eius germina solummodo, quorum evolutio ac profectus a propria eius libertate et provida Dei cooperatione dependere debuit? Neque obstat, quod homo ratione suae, quae a Deo condita est, naturae imago Dei erat; nam haec imago utpote creata et finita longe distat a suo Exemplari, quod per se subsistens et infinitum est; quapropter plane congruum est (connaturale), ut homo non subito ac totaliter sed partim atque gradatim appropinquet perfectioni, quam totaliter atque perfecte non possidet nisi solum suum Exemplar» [1]).

Haec est praecipua russorum obiectio eiusque probatio atque explicatio.

II. 1. Manifestum est russos hic committere fallaciam, quae apud dialecticos nomine ignorationis elenchi venit. Non intellecta enim neque terminologia adversariorum neque doctrina non intelligunt et quaestionis quidem statum, qui apud eos est; quo fit, ut doctrinam adversariorum immutent atque aliquid aliud impugnent, quam quod ab his doceatur. Quod saltem valet, si obiectio quam contra catholicos dirigunt, consideratur; cuius solius hic nostra interest.

2. Russi enim, ut vidimus, nomine naturae dona Creatoris, nomine gratiae auxilia Provisoris intelligunt; ergo plane aliquid aliud atque catholici. Nomine vero iustitiae et sanctitatis intelligunt perfectionem quandam quae ex evolutione provenit, aliquid quod ab homine propriis viribus cooperante

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 417—418; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 129.

Deo acquiritur: perfectionem igitur acquisitam; ergo iterum aliquid plane diversum atque catholici. Quibus tamen non obstantibus russi, cum suam obiectionem contra catholicos construunt, sic agunt, ut si nullum discrimen inter utrosque existat in concipiendis terminis naturae et gratiae, sanctitatis et iustitiae.

Quo fit, ut non prouti res postulet, sed suo modo atque arbitrio catholica interpretentur dogmata.

Atque hac ratione immutata adversariorum doctrina immutant quoque statum quaestionis qui apud eos est.

Catholici enim quaerunt, quid ex illis donis ac beneficiis, quibus homo cumulatus e manibus Dei prodiit, eius naturae debitum, quid vero speciali beneficio superadditum fuerit? quid ordinem naturalem, quid vero supernaturalem respexerit? quae quaestio ponitur omnino abstractione facta ab hominis evolutione ac progressu; — russi vero quaerunt, quas partes in processu spiritualis hominis evolutionis ac profectus Deus provisor, quas vero ipse homo habuerit? quid in hoc profectu, in hac perfectione acquisita ex provida Dei cooperatione, quid vero ex hominis industria repetendum sit? Apud catholicos igitur quaeritur de perfectione indita, accepta, infusa; russi vero agunt de perfectione acquisita. Itaque omnino aliud est, quod ipsi catholici quaerunt et intendunt, et aliud quod russi nomine catholicorum quaerunt et intelligunt.

3. Atque hoc modo immutata quaestione imputatur catholicis quod minime ab eis docetur.

Veluti passim russi exprobrant catholicis, eos omnem profectum ac incrementum in vita spirituali ex sola gratia repetere penitus exclusa propria hominis activitate. Sed quis catholicorum haec docet? Nonne continuo affirmatur, ut in ordine naturali effectum totum esse Dei et totum creaturae licet alio atque alio modo, ita et in ordine supernaturali actus salutares neque soli gratiae neque soli libero arbitrio adscribi posse sed proficisci ab una causa adaequata quae sit voluntas aucta gratia.

Quod autem russi dicunt catholicos considerare gratiam ut aliquid externum, ut aliquid quod extrinsecus naturae humanae adiectum, veluti adsutum sit, instar vestis quae homini mere extrinsecus adiaceat [1]); pariter nulli fundamento nituntur. Quis enim ex theologis catholicis hoc modo sive gratiam habitualem sive actualem concipit?

4. Sed potissimum catholicis obicitur eos docere «Adamum abstractione facta a gratia fuisse in statu purorum naturalium, qui essentialiter non differat a nostro statu»; «sua natura Adamum fuisse eundem ante lapsum atque post lapsum», ex quo deinde inferunt catholicos etiam defectus nostros transferre in

---

[1]) Сильвестръ et Тихвинскій loc. cit.; — Никаноръ, op. c. p. 65—66; — Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 52—53. — Cum russi haec obiciunt, potissimum nituntur catholicorum expressionibus, ubi integritas vel iustitia originalis vocatur donum superadditum vel additum; veluti si haec verba ex mente catholicorum non designarent nisi quandam mere externam horum donorum relationem ad naturam puram, nisi quendam externum ac moralem gratiae influxum in hominem similiter ut hoc pelagiani affirmarint. Non est cur dicam haec, quantum contra catholicos dirigantur, omni fundamento carere.

Adamum [1]). Haec sunt quibus russi praecipue nituntur, cum catholicos pelagianismi arguunt.

Quae obiectio ex eo orta est, quod russi, cum nomine gratiae non intelligant nisi providam quandam naturae hominis debitam Dei cooperationem, putant catholicos quoque idem intelligere atque abstrahendo gratiam non abstrahere nisi hanc cooperationem simulatque perfectionem quae ope eius acquisita sit. Deinde cum russi non cognoscant dona quae dicimus praeternaturalia, sed alia ex eis ommittant, alia ad providentiae influxum referant, alia naturae hominis ut debita tribuant, sequitur, ut nomine naturae purae aliquid aliud intelligant atque catholici: nostram scilicet naturam puram iam auctam quibusdam donis praeternaturalibus: nempe integritatis et impassibilitatis. Hinc nil mirum est, quod non intelligunt, quid catholici sibi velint, cum dicant ratione naturae purae nullum essentiale discrimen esse inter hominem lapsum et hominem integrum, abstractione nempe facta ex una parte a macula peccati originalis ex alia vero a donis praeternaturalibus [2]).

---

[1]) Сильвестръ et Тихвинскій, loc. cit.; — Никаноръ, op. c. p. 61—67; — Свѣтловъ, op. c. II, § 39, p. 52—53; — Успенскій, op. c. p. 39—40; — Трусковскій И. Руковд. къ Облич. Богослов. Изд. 2, Могилевъ на Днѣпрѣ. 1889, p. 30—31; et alii.

[2]) Maioris claritatis causa diversorum hominis statuum, quorum mentio occurrit, notionem adiungimus. Nomine status intelligitur «conditio seu modus se habendi naturae rationalis ad Deum tamquam ad suum ultimum finem iuxta divinae providentiae ordinationem»; quae ordinatio cum alia atque alia esse possit, theologi varios hominis status distinguunt, quorum alii reales, alii solummodo possibiles sunt, puta: statum naturae purae, integrae, elevatae, statum iustitiae originalis, sta-

Catholici vero cum gratiam abstrahunt, eius nomine intelligunt: 1) gratiam sanctificantem cum virtutibus infusis et donis Spiritus sancti ceterisque, quae ordinem supernaturalem respiciunt; 2) dona praeternaturalia integritatis, immortalitatis, impassibilitatis etc. Quae dona dicuntur gratia non quod providae Dei cooperationi adscribantur et hominis industriae neque ideo quod in se supernaturalia esse

---

tum naturae lapsae, reparatae. — Status naturae purae est «conditio naturae humanae consideratae in suis naturalibus absque gratia et peccato»; «hic status importat praecise naturam cum suis principiis intrinsece constituentibus et iis quae ex illis sequuntur seu ei debentur». Homo in hoc statu foret obnoxius, fami, labori, morbis, passionibus, ignorantiae, concupiscentiae, quia haec ex principiis intrinsece constituentibus humanam naturam sequuntur. In hoc statu «beatitudo formalis hominis foret perfecta coniunctio cum Deo, ipsum cognoscendo abstractive seu per effectus et suaviter ac constanter ei adhaerendo per amorem». Ad assequendum hunc finem darentur auxilia ordinis naturalis. Hic status consideratur a theologis ut possibilis tantummodo. — «Status naturae integrae consistit in perfecta subiectione corporis ad animam et appetitus sensitivi ad rationem: proindeque importat immunitatem ab ignorantia, concupiscentia, morte et passionibus naturam alternantibus». «In hac naturae integritate fuit creatus Adam. Et haec in illo oriebatur a gratia sanctificante; ab hac tamen gratia distinguebatur, quia erant diversi ordinis; integritas enim est forma perficiens naturam in ordine naturali, non elevans ipsam ad ordinem supernaturalem nec constituens hominem filium Dei adoptivum, participem divinae naturae et haeredem regni coelestis: qnae omnia praestabat gratia sanctificans. Unde nihil obstabat quin potuerit Deus creare hominem in statu naturae integrae absque iustita seu gratia originali». Atque theologi re ipsa quaerunt, utrum protoparentes statim in creatione, an nonnisi postea sint consecuti gratiam sanctificantem? — Status naturae elevatae seu status

putentur, sed quia praeter id quod debitum est speciali Dei Creatoris beneficio purae hominis naturae sunt addita. Ergo tantummodo ratione originis dicuntur gratia; quia si in se spectentur non perficiunt neque elevant naturam hominis nisi in ordine naturali; ideoque non sunt nisi perfectiones naturales; quapropter iure merito dicuntur dona praeternaturalia. Quae omnia igitur si abstrahantur, re ipsa ratione naturae

---

supernaturalis est ille, in quo homo ad finem supernaturalem, visionem scilicet beatificam, a Deo destinatus gratia sanctificante elevanteque ceterisque auxiliis supernaturalibus ad hunc finem assequendum proportionatis instruitur. — Status iustitiae originalis seu innocentiae vocatur ille status in quo primus homo a Deo constitutus est. S. Thomas hunc statum constituit in perfecta subiectione rationis ad Deum, appetitus sensitivi ad rationem et corporis ad animam. Homo in eo non solum ornatus erat donis praeternaturalibus: integritatis, immunitatis a concupiscentia, ignorantia, morte, passionibus naturam alternantibus, sed etiam gratia sanctificante donatus. — Status naturae lapsae est ille, qui lapsum Adami immediate consecutus est; qui tamen non duravit, cum Deus reparatorem mox promisisset. Natura autem humana peccato Adami est spoliata gratia sanctificante virtutibusque ei adnexis, tum dono integritatis, impassibilitate, immortalitate et exemptione ab ignorantia et concupiscentia; praeterea etiam in naturalibus est vulnerata natura humana atque quatuor sunt eius vulnera: ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetitu concupiscibili, infirmitas in irascibili. — Status naturae reparatae seu potius reparandae est ille in quo modo sumus; in quo scilicet iterum destinamur ad finem supernaturalem mediisque ad eum consequendum proportionatis instruimur, non restitutis tamen donis praeternaturalibus integritatis, immortalitatis etc. quibus Adam in statu iustitiae originalis erat donatus. Vide Billuart. Summa Summae S. Thomae. Parisiis. 1889, t. II, p. 490—496; Hurter. Theolog. Specialis pars 1, n. 362, 365.

nihil in primo homine relinquitur, quo essentialiter a homine lapso differat excepta macula peccati; non relinquitur enim nisi natura pura.

Animadvertendum tamen est catholicos, cum hanc comparationem instituant, non procedere nisi discurrendo ac cogitatione abstrahendo; non versantur igitur nisi in ordine logico. Ex quo autem minime licet transilire ad ordinem ontologicum, realem atque affirmare, ut russi faciunt, catholicos veluti docere primum hominem abstractione facta a gratia fuisse in statu naturae purae, qui non differret a nostro statu; habuisse nostros defectus etc.

Quod minime verum est. Catholicorum sententia homo nunquam fuit in puris naturalibus; status naturae purae de facto nunquam exstitit. Is non consideratur a catholicis nisi ut possibilis h. e. si Deus voluerit, potuerit hominem sic affectum atque constitutum procreare atque in hoc statu relinquere.

Si vero ea quae dicitur natura pura ut norma sumatur ad comparandam perfectionem naturalem hominis integri et hominis lapsi, sententia catholicorum haec est inter utrumque relatio; in utroque inest aeque natura pura, sed in homine integro haec natura erat insuper aucta donis praeternaturalibus: integritatis, immortalitatis, impassibilitatis etc., in lapso vero haec eadem natura est etiam debilitata. Ergo videas, quantum sententia catholicorum conditio hominis lapsi deterior sit ratione perfectionis naturalis conditione hominis integri!

5. Ergo falsum est catholicos ratione naturalium nullum discrimen ponere inter hominem integrum et lapsum, defectus huius transferre in illum atque incidere in pelagianismum.

APPENDIX III.

ORDO HOMINIS AD ULTIMUM FINEM.

Conclusionis instar paucis complectimur, qui sententia russorum sit ordo primi hominis ad ultimum finem et quid catholici de hac re doceant?

I. 1. Russorum sententia Deus creando hominem fecit eum ad imaginem suam h. e. indidit ei naturam rationalem atque eo ipso ostendit ei altum suum finem qui est beatitudo (vita) aeterna, cuius summum visio Dei facialis est.

Atque homo virtute illius imaginis h. e. naturae suae rationalis totus cum omnibus suis facultatibus fertur in hunc finem neque quiescit nisi eo assecuto. Pariter virtute eiusdem imaginis homo est perfectus h. e. ipsa natura correspondens huic fini, plane aptus ad eundem assequendum, praeditus viribus ad id sufficientibus.

2. Quamquam «verum quidem est hominem ipsa natura sua, eo scilicet quod ad imaginem Dei creatus esset, habuisse pignora et facultates ad vitam deisimilem et communionem cum Deo, fuisse correspondentem ac sufficientem suo fini»; verumtamen «haec imago quam homo a Creatore acceperat, cum non esset nisi creata ac finita, longe distabat a suo Exemplari, quod per se subsistens atque infinitum est, nempe a Deo». «Quapropter plane congruum (h. e. naturale) est homini, ut non subito ac totaliter sed partim atque gradatim appropinquet perfectioni quam

totaliter et perfecte non possidet nisi solum suum Exemplar nempe Deus» [1]).

Aliis verbis homo creatus est ad imaginem Dei, destinatus autem ad similitudinem. Sed haec infinitae perfectionis est: «Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est» (Matth. 5, 48). Ergo creatura, quae finita est, non potest illam similitudinem acquirere nisi partim partimque perfectionem Infiniti sibi appropriando, nisi gradatim ac pedetentim Ei sese assimilando, nisi via evolutionis ac progressus [2]).

Itaque r a t i o n e e i u s d e m i m a g i n i s seu rationalis suae naturae creatae homo non potest, suum finem attingere nisi via evolutionis ac progressus.

Itaque Deus Creator concreando homini imaginem suam h. e. ingenerando ei naturam rationalem eo ipso 1) ostendit ei finem, 2) impressit naturalem tendentiam ad eundem, 3) efficit eum correspondentem huic fini ac sufficientibus viribus pollentem ad eum assequendum, 4) ostendit viam ad finem. Atque hisce constat relatio Dei Creatoris ad primum hominem; haec sunt dona Creatoris quae nomine naturae veniunt.

Terminus igitur hominis ad quem est vita aeterna, a quo — natura rationalis praedita viribus aptis, medium — evolutio ac progressus.

Inter terminum a quo et terminum ad quem existit correspondentia quaedam naturalis seu proportio (соотвѣтсвіе).

---

[1]) Сильвестръ, op. c. III, § 58, p. 416, 418; — Тихвинскій, op. c. II, чтн. 10, p. 128, 129; — Успенскій, op. c. p. 39.

[2]) Vide supra proleg. p. 34—36 et de destin. p. 76—77.

II. 1. Quod autem evolutionem attinet, homo per se ipsum, solis propriis viribus relictus, nullo modo potuit evolvi; sub hoc respectu ille absolute indiguit provida Dei cooperatione. Homo enim, qua creatura est, limitatus et finitus est atque deficere potest; indiguit ergo provida Dei sustentatione et confortatione; perfectio quoque hominis non erat nisi in germine, in potentia; non poterat igitur evolvi sine influxu quodam externo. Dein viribus hominis licet eximiis non continebantur nisi pignora futurae perfectionis, quae iterum non poterant excoli sine speciali Provisoris cura. Tandem et libertas hominis, cum aeque ad eligendum et bonum et malum apta sit, ut bonum potius eligat quam malum, pariter eguit speciali Dei ope seu gratia. Praeterea homo vi impressae ei imaginis debuit tendere ad similitudinem Dei acquirendam, quae infinitae perfectionis est. Ergo homo ratione naturae imaginis, quae ei a Creatore indita erat, absolute indiguit provida cooperatione seu gratia.

2. Atque Deus provisor, qua infinite bonus est, succurrit huic hominis indigentiae: 1) sustentando eum atque confortando ne deficeret, 2) speciali modo ei cooperando, ut evolvi ac progredi posset, sive influxu externo quodam eius facultates excitando, sive more paedagogi et moderatoris eum instruendo et educando, sive speciali ratione in ipso progressu eum adiuvando.

Atque hisce continetur relatio Dei provisoris ad primum hominem. Haec sunt auxilia provisoris quae etiam nomine gratiae veniunt; proprie tamen et stricte hoc nomen videtur ad solam illam providam cooperationem designandam restringi. Quidquid est, id tamen certum manet, russos, si quid gratiae, si

quid supernaturale admittant, hoc nomine providae Dei cooperationis complectuntur.

III. Duo igitur sunt, qui ad hominis evolutionem ac progressum concurrunt: homo propriis viribus, propria industria et activitate et Deus provisor cooperatione sua speciali. Quamquam Silvester et Tichvinski dicunt praecipuas partes in hac evolutione gratiae esse tribuendas et non homini, in quo tamen illae constiterint, non ostendunt. Ceterum in toto eorum systemate proprie et vere ipse homo apparet ut operans, gratia nonnisi cooperari, auxiliari, adiuvare dicitur [1]).

Sic concurrente Deo providenti homo incipit processum intellectualis moralisque suae evolutionis, incipit vitam vere moralem, deisimilem, spiritualem... intrat in communionem et consortium cum Deo. Id vero, quod ex hac evolutione provenit vel provenire debet, vocatur: assimilatio Dei, Dei similitudo, perfectio, veritas et virtus, iustitia et sanctitas; maior atque maior unio cum Deo etc. Tandem veluti ultimus effectus ac fructus, veluti merces et corona consequitur haec omnia vita aeterna seu beatitudo cum visione Dei.

Quidquid ergo est, et vita, quam homo cooperante gratia incipit, et illa perfectio, ille status, qui ex hac hominis activitate et gratiae cooperatione

---

[1]) In genere, ut diximus, russorum doctrina de gratia primi hominis valde obscura est; vid. supra p. 24—27; 160 sq. Sed neque semper clariores sunt neque rectiora proferunt etiam cum de gratia hominis lapsi agunt. Eadem permixtio et perversio doctrinae de gratia conspicitur quoque apud graecos documento potest esse «Πηδαλιον» p. 419—430 adnot. — Sed de his integer tractatus esset scribendus.

provenit vel provenire debet, considerantur a russis ut aliquo modo supernaturalia, rectius semisupernaturalia: quod certe et ipsi termini indicant et ratio suadet: quod enim ex natura et gratia supernaturali procedit, de utraque aliquid participet necesse est.

Itaque homo ob imbecillitatem nimirum suarum virium respectu evolutionis ac progressus, respectu eorum scilicet quae ad finem sunt ponitur a russis in aliquo, si ita loqui fas est, ordine supernaturali. Quidquid est, id certum manet russos, si quid supernaturalitatis vel gratiae admittant, restringere solummodo ad id, per quod homo operetur ad finem, limitare ad conficiendum iter quo gradiendum sit ad finem ultimum, reducere ad solam evolutionem et progressum hominis.

IV. 1. Ex his ergo, quae modo de relatione Dei provisoris ad primum hominem diximus, sequitur, ut homo ad finem suum medium sit in ordine aliqualiter supernaturali [1]; ex eis vero quae supra de relatione Dei Creatoris exposuimus, efficitur, ut idem homo ad

[1]) Diximus: «aliqualiter supernaturalem»; nam doctore s. Thoma 3, q. 78, a. 2, ad 4: «motus non accipit speciem a termino a quo, sed a termino ad quem», h. e. a fine. Apud russos contrarium est. Cum enim non distinguant inter finem naturalem et supernaturalem, gratuitatem et supernaturalitatem divinorum auxiliorum specificare videntur a termino a quo: ex imbecillitate humanae naturae, finitate, limitatione illius necessitatem providae Dei cooperationis, ex bonitate vero Provisoris largitionem seu factum horum auxiliorum inferunt; generatim quidquid ad imaginem Dei in homine iam splendentem h. e. integram insuper accedit, considerari videtur a russis ut supranaturale, ut cooperatio Dei, ut virtus, sanctitas, ut Dei assimilatio etc.

finem suum ultimum sit in ordine plane naturali: mira inconsequentia!

Beatitudo enim aeterna, ut vidimus, non ponitur neque supra naturam hominis: ipsa natura eam homini ostendit et homo ei correspondet, proportionatus est; neque supra exigentiam hominis ac tendentiam: homo tota natura sua rationali fertur ad eam neque quiescere potest nisi ea obtenta; neque proprie loquendo supra vires hominis ponitur haec beatitudo, quamdiu hae vires considerantur, simulatque e manibus Dei prodierunt, ante omnem evolutionem, in statu quietis, ut ita dicam: homo enim ipsa natura fuisse praeditus dicitur viribus perfectis, plane aptis et sufficientibus ad finem ultimum. Ergo relate ad finem ultimum homo collocatur in ordine naturali.

Sed cum primum ventum est ad ea quae sunt ad finem, nempe ad ipsum iter quo proficiscendum est ad vitam aeternam, ad evolutionem et progressum, vires hominis ob humanae naturae finitatem, limitationem, defectibilitatem declarantur sibi solis relictae non sufficere, ut evolvi ac progredi possint: absolute indigere dicuntur provida Dei cooperatione seu gratia. Ergo ad finem medium est homo aliquliter in ordine supernaturali.

2. Ex quibus efficitur, ut finis ultimus hominis in systemate russorum non ponatur quidem supra naturalem hominis potentiam, at supra ipsum exercitium huius potentiae, ut non tam finis ultimus sit homini supernaturalis quam ipsa eius assecutio.

Ex quo manat quidam ordo semisupranaturalitatis. Etenim russi, si quid gratiae, si quid supernaturalitatis admittunt, non admittunt nisi in tantum,

in quantum homo solus, suis propriis viribus relictus ob suam defectibilitatem, finitatem et limitationem non valet sine speciali Dei provisoris cooperatione seu gratia supernaturali illud iter conficere quod ad connaturalem sibi finem ducit.

V. 1. Praecipuus error in systemate russorum, ut patet, consistit in eo, quod exclusa elevatione seu gratia habituali sanctificante tanquam radix ac fundamentum vitae «vere spiritualis ac moralis» (h. e. supernaturalis), «communionis et consortii cum Deo» etc. consideratur ipsa natura rationalis; gratia, si quae admittitur, non est nisi actualis eaque nonnisi cooperans. Alter error in eo est, quod non distinguitur inter dona naturalia et praeternaturalia; sed ea, quae ex praeternaturalibus homini adscribuntur, considerantur tanquam naturae debita. Tertius error in eo consistit, quod russi plane arbitrarie omnia, quaecunque e relatione Dei Creatoris repetunt, pro natura ac naturae debito habent, quaecunque vero e relatione Dei providentis deducunt, quodammodo veluti gratiam ac supernaturale considerant; quae theoria, non est cur dicam, quantae confusionis causa sit et esse debeat non modo in hoc tractatu sed etiam in tota theologia [1]).

2. Si vero causa erroris ac ratio quaeratur, ex eo videtur esse repetenda, quod russi non distinguunt

---

[1]) Rationem, cur russi hoc modo distinguerent et conciperent, ut diximus, assequi non potuimus. Iuxta Tichomirov (Тихомировъ. Курсъ Основн. Богослов. СПБ. 1897, Изд. 2, p. 14) providentia ex natura sua ratione comprehendi non potest, ea sola fide suscipitur. Ergo iam ex natura sua consideratur veluti aliquid supernaturale; quamquam proprie ut gratia sumitur sola Dei providi cooperatio. Tota haec confusio scatu-

inter finem hominis naturalem et supernaturalem. Confusis autem finibus, confusi quoque sunt uterque ordo: naturalis et supernaturalis; atque ventum est ad excludendam gratiam habitualem sanctificantem; qua subtracta nec vita supernaturalis subsistere potest.

Altera erroris causa in eo consistit, quod russi religionem (etiam naturalem) concipiunt ut «foedus inter Deum et hominem», ut «mutuam alterutrius relationem: Dei scilicet ad hominem et hominis ad Deum»; ita tamen ut initium et primae partes in hac re Deo tribuantur; «Deus enim dat initiativam ad hoc foedus» [1]). Hinc provenit frequens illa, quae in tractu dissertationis observari potuit, mentio «relationis Dei ad hominem tum Creatoris tum Provisoris».

---

rire nobis videtur ex falsa, quam debent habere, Dei Creatoris et providentis idea philosophica; quapropter et solutio huius rei quaerenda est in eorum philosophiae compendiis. Dolendum est nos nulla prae manibus habuisse, quae consulere possemus.

[1]) Ex una parte «Deus veluti vocat hominem ad se eo ipso quod ei imaginem suam dat, qua homo necessario ad Creatorem trahitur», ex altera parte «homo veluti correspondet huic vocationi sua naturali sed simulatque conscienter (h. e. cum plena cognitione) libera ad Deum tendentia»; atque hoc est fundamentum liberi foederis inter Deum et hominem atque mutuarum relationum. Homo vi huius imaginis «naturaliter fertur quidem ad unionem cum Deo: suo intellectu, voluntate, affectu». Sed intellectus hominis, voluntas et affectus non sunt nisi facultates, potentiae, aptitudines; homo neque cognoscere potest Deum nisi Ille sese homini revelaret, neque agere ad finem, nisi Deus ei legem et praecepta ostenderet, neque affectu seu corde ferri ad summam

Quo deinde factum est, ut russi falsum sumerent principium, quo sive in construendo ordine hominis ad Deum sive in specificandis eis quae sunt ad finem niterentur. In quibus sic procedunt, ut ante omnia stabiliant factum: Deum creando hominem impressisse ei imaginem suam h. e. indidisse naturam rationalam. Tum iam sumunt hanc imaginem tanquam fundamentum ceterorum ac principium atque subiciendo eam analysi ex eius natura proprietatibusque in ceteris argumentantur. Veluti ex hac imagine inferunt ac definiunt naturam religionis seu foederis inter Deum et hominem tum naturalis tum supernaturalis. Ex hac imagine deducunt et ultimum hominis finem, et aptitudinem seu proportionem et viam ad eundem, et absolutam providae Dei cooperationis

---

beatitudinem, nisi haec ei monstraretur. Atque Deus qui dignatus est hominem ad communionem Secum vocare eo ipso, quod ei suam imaginem impresserat, dignatus quoque est homini sese revelare, ei veritatem et legem dare, et summa bona ostendere, verbo: eum Ipse Deus religionem edocuit. Hac ratione Deus succurrens naturali hominis imbecillitati et indigentiae sese revelavit tum naturali modo tum supernaturali etc. Homo autem debet respondere huic revelationi, debet eam suscipere. Atque hac ratione constituitur foedus, religio inter Deum et hominem, mutua alterutrius relatio: sic Макарій, митри. Москов. Введеніе въ Православ. Догмат. Богословіе. Изд. 6, СПБ. 1897, § 12—13, p. 26 sq. — Augustinus rector religionem definit ut «vivum, cum cognitione (conscienter) factum et liberum foedus inter Deum et hominem, foedus divino humanum, in quo necessario praesupponitur descensio Dei ad hominem et sublevatio hominis ad Deum» (Августинъ, ректоръ. Руководство къ Основн. Богосл. Изд. 3, Москва. 1894, § 17, p. 58). «Quod foedus ut constitui possit, necesse est ex una parte ut Ipse Deus se revelet homini h. e. ei monstret:

necessitatem; ex altera parte ob eandem imaginem Deus subvenit hominis indigentiis. Dum hominis imago, quamdiu ille in statu innocentiae est, in toto suo splendore lucet, et relatio Dei ad hominem est «normalis»; immutata autem peccato originali hac imagine, foedata, depravata ac destructa, et relatio Dei ad hominem immutatur fitque extraordinaria et supernaturalis et status hominis devenit status gratiae[1]). Dum imago integra est ac pura, ad eam evolvendam excolendamque sufficit gratia cooperans; foedata vero peccato imagine ac destructa requiritur tum etiam gratia sanctificans ad eam purificandam reconstruendamque, ut evolvi et coli possit etc... Itaque imago Dei in homine seu natura rationalis est russis veluti fundamentum, cui in argumentando innitantur, prin-

---

suas proprietates, actiones, et suam voluntatem erga eum; ex altera parte, ut homo totaliter suscipiat hanc revelationem etc.». «Atque in hoc consistit essentia mutuarum relationum inter Deum et hominem sicut inter membra religiosi foederis» ita tamen ut «initiativa in hac re tribuenda sit Deo» (Августинъ, op. c. § 18, p. 59 sq.). Iuxta Macarium religio est doctrina de mutua relatione inter Deum et hominem (Макарій. Введ. op. c. § 15, p. 33). Vid. supra prolegom. p. 17, 19—20, 35.

Atque haec sufficere censemus. Optimum fuerit, si quis explorare voluerit doctrinam russorum de religione et revelatione; id non parvam lucem in totam eorum theologiam effuderit. — Error autem in ista concipiendae religionis ratione apud russos in eo est, quod relatio Dei ad creaturam non potest esse nisi r a t i o n i s, relatio vero creaturae ad Deum est r e a l i s; idcirco cum religio concipitur tamquam mutua relatio Dei et hominis, confunduntur ordo logicus et ontologicus atque Deus statuitur veluti in quadam dependentia a creatura, suo opere. Vid. S. Thomas 2, 2, q. 81, a. 1; contra Gentil. l. I, c. 11—14.

[1]) Vid. prolegom. p. 32—34.

cipium, ex quo cetera deducant ac specificent, punctum centrumque circa quod omnia versentur.

Chatholici vero religionem concipiunt ut «ordinem proprie hominis ad Deum» et non viceversa; idcrico ante omnia respiciunt ultimum finem. Cognito ex revelatione hominem vocatum esse ad vitam aeternam, ad visionem Dei per essentiam, comparant hunc finem cum hominis natura et naturae exigentiis atque vident visionem Dei per essentiam non posse dici bonum hominis naturale, ad quod ultimo tendat, sed esse extra et praeter ambitum omnis naturae creatae, excedere potentiam et ius omnino omnis creaturae. Sic cognito ultimo hominis fine, ad quem vocatus est, atque perspecta disproportione inter hunc finem et hominis naturam, catholici ex supposito Deum gratia sua ad tantum finem vocasse hominem tum iam et necessitatem gratiae sanctificantis, qua homo elevetur ac proportionatus tanto fini reddatur, inferunt et necessitatem ceterorum auxiliorum supernaturalium, quibus homo proportionaliter operari ad finem possit.

Itaque catholici prae oculis habent potius ipsum finem atque ex fine ea quae sunt ad eundem specificant; cum igitur finis, ad quem homo de facto vocatus est, sit gratia et supernaturalis, et ordo hominis ad eundem est supernaturalis, et modus quo homo a Deo movetur ad eundem seu gratia supernaturalis est. Russi vero non respiciunt nisi imaginem Dei in homine atque cetera ex eorum relatione seu habitu ad hanc imaginem specificant. Quidquid imaginem constituere putatur, consideratur ut natura et naturae debitum; quidquid vero ad imaginem iam constitutam accedit, ut ea evolvi atque excoli possit usque ad Dei similitudinem, consideratur ut gratia et super-

naturale. Quapropter dona Creatoris, quia omnia putantur necessaria esse ad constituendam imaginem in toto splendore et integritate, considerantur ut natura; pariter atque conservatio, quamquam Deo providenti adscribitur, non habetur pro gratia, quia nihil novi affert ad imaginem, sed eam sustentat solummodo: — provida autem Dei cooperatio iam concipitur ut gratia et supernaturalis, quia ad imaginem, quae in tota sua perfectione et splendore est, extra accedit et aliquid affert, quo haec imago evolvi, excoli, perfici possit usque dum Dei similitudinem attingat. Atque ex hoc nobis videtur magnam partem provenire illa mira confusio, quae apud russos conspicitur, non modo in concipienda natura, gratia et supranaturalitate, sed etiam in aliis quamplurimis puta in concipienda revelatione eiusque relatione ad rationem etc. [1]).

3. Ut omnia quae diximus veluti una propositione complectamur, liquet summam erroris, causam atque radicem ceterorum errorum ad id in russorum systemate reduci, quod russi falso proportionem affirmarunt inter finem ad quem homo de facto vocatus est et hominis integri naturam in se sumptam.

VI. I. Catholici vero, cum inter duplicem hominis finem distinguant, sequitur, ut duplicem quoque ordinem ponant naturalem scilicet et supernaturalem. Cum alter enim finis homini connaturalis sit, necesse

---

[1]) Considerando enim naturam hominis rationalem, vel si vis imaginem, quod summum est, possumus inferre, quae ex donis Creatoris homini, ut homini, debita, quae vero gratuita sint; sicut nos facimus cum inter dona naturalia et praeternaturalia distinguimus. Sed supranaturalitatem proprie et vere cum de ordine hominis ad Deum loquimur non possumus specificare nisi ex fine.

est, ut homo ipsa natura, ne manca sit, eidem fini proportionatus sit, ut omnia videlicet habeat, quae ad hunc finem et cognoscendum et appentendum et per congruam operationem attingendum necessaria sint. Cum alter vero finis praeter et supra naturae ambitum sit, necesse est, ut Deus, qui ex mera sua benevolentia creaturam ad tantum bonum vocare dignatus est, elevet quoque eam reddatque aptam ac proportionatam tanto fini.

«Homo secundum naturam, inquit s. Thomas, proportionatus est ad quendam finem, cuius habet naturalem appetitum et secundum naturales vires operari potest ad consecutionem illius finis; qui finis est aliqua contemplatio divinorum, qualis est homini possibilis secundum facultatem naturae, in qua philosophi ultimam hominis felicitatem posuerunt. Sed est aliquis finis, ad quem homo a Deo praeparatur, naturae humanae proportionem excedens, scilicet vita aeterna, quae consistit in visione Dei per essentiam, quae excedit proportionem cuiuslibet naturae creatae, soli Deo naturalis existens: unde oportet, quod homini detur aliquid, non solum per quod operetur ad finem vel per quod inclinetur eius appetitus in finem illum, sed per quod ipsa natura hominis elevetur ad quandam dignitatem, secundum quam talis finis sit ei competens, et ad hoc datur gratia (scl. sanctificans)» [1].

2. Atque alio loco idem s. Doctor analogiam quandam monstrat inter illos duos ordines: «Considerandum est autem, inquit, quod est duplex hominis bonum; unum quidem quod est proportionatum suae

[1]) S. Thomas. De Veritat. q. 27, a. 2.

naturae; aliud autem quod suae naturae facultatem excedit... Et quia unumquodque ordinatur ad finem per operationem aliquam; et ea quae sunt ad finem, oportet esse aliqualiter fini proportionata; necessarium est esse aliquas hominis perfectiones quibus ordinetur ad finem supernaturalem, quae excedant facultatem principiorum naturalium hominis. Hoc autem esse non posset, nisi supra principia naturalia aliqua supernaturalia operationum principia homini infundantur a Deo. Naturalia autem operationum principia sunt essentia animae et potentiae eius, scilicet intellectus et voluntas, quae sunt principia operationum hominis, in quantum huiusmodi; nec hoc esse posset, nisi intellectus haberet cognitionem principiorum per quae in aliis dirigeretur, et nisi voluntas haberet naturalem inclinationem ad bonum naturae sibi proportionatum. Infunditur igitur divinitus homini ad peragendas actiones ordinatas in finem vitae aeternae primo quidem gratia (h. e. sanctificans), per quam habet anima quoddam spirituale esse, et deinde fides, spes et caritas; ut per fidem intellectus illuminetur de aliquibus supernaturalibus cognoscendis, quae se habent in isto ordine sicut principia naturaliter cognita in ordine connaturalium operationum; per spem autem et caritatem acquirit voluntas quandam inclinationem in illud bonum supernaturale ad quod voluntas humana per naturalem inclinationem non sufficienter ordinatur. Et sicut praeter ista principia naturalia requiruntur habitus virtutum ad perfectionem hominis secundum modum sibi connaturalem; ita ex divina influentia consequitur homo, praeter praemissa supernaturalia principia, aliquas virtutes infusas, qui-

bus perficitur ad operationes ordinandas in finem vitae aeternae» [1]).

3. Itaque videmus, quomodo docente s. Thoma ordini naturali parallella quadam similitudine correspondeat ordo supernaturalis, naturalibus nostrae activitatis principiis principia altiora, supernaturalia; gratia enim supponit naturam eique inseritur. Ita essentiae animae, quod est principium operationum in ordine naturali, correspondet gratia sanctificans veluti nova quaedam natura, velut novum esse supernaturale, principium operationum supernaturalium; tum potentiis operativis secundum quod circa finem versantur respondent habitus infusi: intellectui fides, voluntati spes et caritas; dein habitibus acquisitis, quibus homo bene se disponit in eis quae sunt ad finem respondent virtutes infusae morales: prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo.

Denique instinctui naturali aequiparari possunt quodam modo dona Spiritus sancti velut quidam instinctus supernaturales. Tandem praemotioni et concursui divino in ordine naturali, altior quidam motus in ordine supernaturali: gratia scilicet actualis tum operans tum cooperans [2]).

Hac ratione theologi catholici sicut duplicem finem distinguunt ita et duplicem ordinem.

---

[1]) Id. De Virtut. art. 10.

§ 2. [2]) Billiot. De Virtutibus infusis. Romae 1901, Proëm. p. 9—14; Kleutgen. Theol. d. Vorzeit op. c. II.

APPENDIX IV.

SIMILITUDO SYSTEMATUM RUSSORUM ET BAII.

1. Absoluta iam nostra dissertatione cum circum circa spectaremus, cui potissimum systemati systema russorum conferremus, commoti sumus, ut Baii doctrinae accuratius cognoscendae operam daremus.

Quo factum est, ut mirum quantam similitudinem inter utrumque systema conspexerimus. Quod si antequam nos huic operi accinxissemus, cognitum perspectumque habuissemus, profecto forte minore cum labore ac difficultate, et quid russi sentirent, et cur sic sentirent? assecuti essemus, forte ea in quibus illi cum Baio convenirent meliore cum ordine, maiore cum claritate atque vigore conscripsissemus, forte facilius unam alteramve lacunam evitassemus. Attamen id saltem nobis solatio est, quod nemo dicere ausus erit nos praeconcepta aliqua opinione aut praemeditato consilio vel ad indagandam russorum doctrinam accessisse, vel in indagando processisse.

Appendix igitur quam damus consideretur, quaeso, non ut schema aliquod, quod, cum hanc dissertationem scriberemus, nobis velut ob oculos continuo versatum esset; sed ut ultima conclusio, quae opus iam absolutum consecuta est, cuius faciendae cogitatio ut dissertatione iam finita venit, ita et executa est. Sed accedamus ad rem.

2. Mirum quanta propinquitas interest inter systema russorum et Baii. Utrique enim systemati idem error princeps est: in utroque eadem affirmatur proportio naturalis inter finem ad quem homo

de facto vocatus est et hominis naturam integram in se sumptam [1]).

Ex falso autem principio communi communes sequuntur errores: 1) Sicut Baius ita et russi vitam aeternam cum visione Dei putant solum esse finem, qui naturae rationali congruat, sufficiat ac plene correspondeat [2]). 2) Quod si ita sit, creatura rationalis ipsa quoque natura necesse est vocata sit ad hunc finem [3]). 3) Ergo ipsa quoque natura eidem sit par ac proportionata oportet [4]). 4) Hoc posito gratia sanctificans seu elevans superflua est et inutilis, excludenda igitur est [5]). 5) Atque hac ratione in utroque systemate non relinquitur nisi natura hominis integra tamquam fundamentum atque radix operationum, quae ad finem sunt [6]). 6) Sed haec natura potens quidem ad finem sed impotens ad media est; est veluti iners, passiva; sibi soli relicta sine externo influxu atque auxilio non potest agere ad finem. 7) Idcirco Baius auxilio vocat Spiritum sanctum, ut homo religiosa ac moralia opera exercere valeat; russi requirunt Dei

---

[1]) Ad cognoscendum Baii systema usi sumus: Denzinger. Enchiridion Symbolorum etc. n. 881-959; Wetzer und Welte's. Kirchenlexicon. 2 Aufl. Freib. in Br. 1882 vol. I, p. 1852—1862. Scheeben.

[2]) Baius: prop 4, 5, 6, 11, 21; Russi, supra p. 18 sq., p. 69 sq.

[3]) Baius: prop. 5, 11, 21; — Russi: supra p. 18 sq., 69 sq.

[4]) Baius: prop. 2, 44, 22; — Russi: supra p. 21 sq. p. 92 sq.

[5]) Baius: prop. 12, 15, 17, 23, 24, 42; Russi: supra p. 36 sq., p. 122 sq., 174 sq.

[6]) Baius: prop. 1, 2, 4, 7, 12, 21, 23, 26; — Russi: supra p. 38 sq., p. 122 sq., 180 sq., 197 sq.

providi cooperationem seu gratiam, ut homo evolvi ac progredi possit [1]. 8) In utroque systemate beatitudo aeterna ad hanc activitatem hominis adiuti a Deo refertur ut effectus et merces ad causam: apud Baium ad bona opera, apud russos ad evolutionem sui et progressum [2].

Sed proportio inter finem et hominem non est posita a Deo nisi talem, qualis homo e manibus Eius prodiit, integrum. 9) Ergo sola integra natura est vera naturae humanae norma; ergo solum integritatis status est status hominis normalis et naturalis. 10) Ergo dona quae dicimus praeternaturalia integritatis, impassibilitatis Baii et russorum sententia debita sunt naturae [3]. 11) Ergo Deus non potuit creare hominem cum concupiscentia ceterisque defectibus, quia sic constitutus homo abnormis fuisset et suae altae destinationi adimplendae impar. 12) Praeterea hi defectus, cum abnormem effecerint hominis naturam, eius macula sunt et peccatum [4]. 13) Ergo status quem nos dicimus naturae purae impossibilis est [5]. 14) Sed cum proportio non sit posita a Deo inter vitam aeternam et hominis naturam nisi integram, necesse fuit, ut foedata atque destructa peccato naturae integritate ipsa quoque proportio dispareret. 15) Verum Deus

[1]) Kirchenlex. loc. cit.; — Russi: supra p. 142 sq., p. 200 sq.

[2]) Baius: prop. 2, 3, 4, 9, 11, 12, 14; — Russi: supra p. 91 sq., 180 sq., 199 sq.

[3]) Baius: prop. 21, 26, 79; — Russi: supra p. 122 sq., p. 125 sq.

[4]) Baius: prop. 50, 51, 75, 76; Russi: supra p. 125 sq. et quae supra citavimus.

[5]) Baius: prop. 55, 78, 79; Russi supra 125 sq.

Providus, utpote sapiens Gubernator, non potuit permittere, ut sua consilia inania essent, ut ordinatio naturalis, quae statim initio creationis iusto Dei iudicio constituta esset, frustraretur[1]. 16) Quapropter Deus adinvenit media ad reparandum hominem; dat specialem gratiam (etiam sanctificantem) qua proportio illa restitueretur. 17) Idcirco solus status qui lapsum subsecutus est, proprie est status gratiae; et cet... [2]).

His indicatis satis esse factum censemus, quo arctum, quod inter utrumque systema intercedit, propinquitatis vinculum perspiciatur. Non erat enim nobis in animo, ut integram eamque plenam similitudinis vel dissimilitudinis, si qua est, rationem inter Baium et russos exhiberemus. Quod ceterum nondum explorata neque penitus perspecta russorum doctrina: de peccato originali, de iustificatione hominis et salute ac de ceteris neque fieri potest. Optimum tamen fuerit, si quis id opus susceperit. Sicut enim Baii doctrina non parum confert ad russorum systematis

---

[1]) Baius: prop. 11; Kirchenlexicon loc. c.; — Russi: proleg. p. 15 sq., 21—36. Sed praecipue huc referuntur loci, quibus russi de Providentia agunt quantum malum corrigit atque creaturam ad semel in creatione statutum finem ducit: Антоній, op. c. § 88—91, p. 89—92; — Свѣтловъ. op. c. I, § 29—33, p. 327—402; — Макарій Богосл. I, § 95—121, p. 514—597. Ex hisce intelligitur, cur russi possibilitatem, convenientiam et necessitatem redemptionis non deducant nisi ex eo quod in homine reliquiae imaginis etiam post lapsum manserint? cur Deus dicatur redemisse genus humanum nonnisi ea libertate, qua creasset hominem. Vid. Тихомировъ, op. c. p. 16; Свѣтловъ, op. c. II, § 53, p. 219—224.

[2]) Baius: prop. 9; Kirchenlex. l. cit.; — Russi: supra p. 13 sq., 32 sq.

rationem assequendam; ita et russorum bene explorata perspectaque sententia haud exiguam refunderet lucem in systema baianum.

3. Denique vero quod nonnulli russi primum hominem in statu innocentiae infantilis ponunt, quod omnes russi perfectionem primi hominis ad meram potentiam, ad germen reducunt, quod tantopere de evolutione hominis ac progressu loquuntur, quod iustitiam et statum iustitiae ut partum fructumque propriae hominis industriae et cooperantis Dei gratiae considerant, in hisce, ut indicavimus, potius ad systema Hirscher ceterorumque rationalistarum accedunt, contra quos tanta cum laude potissimum Kleutgen pariter et Scheeben scripserunt [1]).

APPENDIX V.

Quid libri symbolici orthodoxorum de statu iustitiae originalis et quae ad eos orthodoxorum theologorum relatio?

1. Orthodoxam librorum symbolicorum doctrinam selegimus a doctrina orthodoxorum theologorum, cum inter utramque maximum discrimen intercedere nobis visum esset ita, ut nullo modo invicem conciliari ac proinde neque commode una exponi possent.

2. Libri symbolici modo directe depingunt statum iustitiae originalis modo indirecte: sive cum enumerant, quid Adam peccando perdiderit? sive cum

---

[1]) Vid. supra. Adnot. p. 98—99.

monstrant, quid Christus moriendo restituerit? Nos utraque simul complectimur atque ea quae sunt maioris momenti ordine exponimus.

In libris symbolicis primae classis solum canonem Concilii Carthaginensis, qui directe ad nostram rem pertineat, reperimus:

«Ἤρεσεν ἵνα, ὅστις λέγει τὸν Ἀδὰμ τὸν πρωτόπλαστον ἄνθρωπον θνητὸν γενόμενον οὕτως, ὡς, εἴτε ἁμαρτήσοι εἴτε μὴ ἁμαρτήσοι, τεθνήζεται ἐν τῷ σώμuτι τουτ' ἔστιν ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ σώματος, μὴ τῇ ἀξίᾳ τῆς ἁμαρτίας, ἀλλὰ τῇ ἀνάγκῃ τῆς φύσεως, ἀνάθεμα εἴη» [1]).

Sed fuse agunt de statu originali libri symbolici secundae classis, potissimum Confessio Orthodoxa Mogilae:

«ΕΡ. κβ' Τίνα γνώμην πρέπει νὰ ἔχωμεν διὰ τὴν ἄλλην κτίσιν (de angelis scilicet iam egit). ΑΠ. Πῶς ὁ Θεὸς ἀπὸ τὸ μὴ εἶναι ἔκαμε τὰ πάντα μὲ τὸ πρόσταγμά του· καί εἰς το ὕστερον ἔπλασε τὸν ἄνθρωπον, καὶ τὸν ἔκαμεν αὐθέντην ἐπάνω εἰς ὅλην τὴν κτίσιν, ὁποῦ εἶναι ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ, λέγωντας (Gen. 1, 26) ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν καὶ ἀρχέτωσαν τῶν ἰχθύων τῆς θαλάσσης, τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ, τῶν κτηνῶν, καὶ πάσης τῆς γῆς· το αὐτὸ λέγει καὶ ὁ ἱερὸς ψάλτης (Ps. 8, 7)· κατέστησας αὐτὸν ἐπὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου, πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ, πρόβατα καὶ βόας ἁπάσας· ἔπι δὲ καὶ τὰ κτήνη τοῦ πεδίου, τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ· καὶ ἀνωτέρω (v. 6), ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ'ἀγγέλους, δόξῃ και τιμῇ ἐστεφάνωσας αὐτὸν, μὰ διατὶ δὲν ἐφύλαξεν ὁ ἄνθρωπος τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ εἰς τὸν παράδεισον ὅταν ἦτον ἀθῶος, μὰ ἀπὸ τὸν ἀπηγορευμένον

---

[1]) Πηδάλιον. p. 424; Συνοδ. Καρθ. καν. ρκ'. (120); Vid. supra Adn. p. 150—153.

καρπὸν. ἐπίασε καὶ ἔφαγε· διὰ τοῦτο ἐστερήθηκεν ἀπὸ τὴν ἀξίαν του, καὶ ἀπὸ τὴν κατάστασιν, ὁποῦ εἶχεν εἰς τὸν καιρὸν τῆς ἀθωότητος του. Καὶ διωχθεὶς ἀπὸ τὸν παράδεισον, τοιοῦτος ἔγινεν ὅ τι λογῆς τὸν περιγράφει ὁ προφήτης (Ps. 48, 21) λέγωντας· ἄνθρωπος ἐν τιμῇ ὤν, οὐ συνῆκε, παρασυναβλήθη τοῖς κτήνεσι τοῖς ἀνοήτοις, καὶ ὁμοιώθη αὐτοῖς· καὶ ἤκουσεν (Gen. 3, 15) ὅτι γῆ εἶ, καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ» [1]).

ΕΡ. κγ. Ποία ἦτον ἡ κατάστασις τῆς ἀνθρωπίνης ἀθωότητος, εἴτουν καταρότητος καὶ ἀναμαρτησίας του;

ΑΠ. Δύο λογιῶν εἶναι ἡ κατάστασις τῆς ἀκακίας, εἴτουν ἀθωότητος (κατὰ τὸν ἅγιον Βασίλειον εἰς τὴν ἀρχὴν τῶν Παροιμ.)· ἡ πρώτη εἶναι μία προαιρετικὴ ἀλλοτρίωσις ἀπὸ ταῖς ἁμαρτίαις, ἤγουν ὅταν λείπῃ ὁ ἄνπρωπος μὲ τὴν ἰδίαν του προαίρεσιν ἀπὸ τὰ ἁμαρτήματα, διὰ τὴν γυμνασίαν ὁποῦ ἔχει, καὶ μακρὰν συνήθειαν εἰς τὰ κακά· ἡ δευτέρα εἶναι ἡ ἄγνοια καὶ ἡ ἀπειρία τοῦ κακοῦ, ἤγουν ὅταν δὲν γνωρίζῃ, οὔτε ἐδοκίμασε καθόλου τὸν κακόν· ἢ διὰ τὴν ἡλικίαν του, ἢ δι'ἄλλαις αἰτίαις· καὶ κατὰ τὸν δεύτερον τοῦτον τρόπον ἦτον εἰς τὸν Ἀδὰμ ἡ ἀθωότης καὶ ἡ ἀκακία, πρὶν ἁμάρτῃ κατὰ πᾶσαν τελειότητα [2]) καὶ δικαιοσύνην ἔμφυτον, τόσον ἀπὸ τὸ μέρος τῆς διανοίας, ὅσον και ἀπό τὸ μέρος τῆς θελήσεως· εἰς τὴν διάνοιαν περικλείεται πᾶσα ἐπιστήμη, καὶ εἰς τὴν θέλησιν πᾶσα χρηστότης καὶ καλοσύνη [3]), διατὶ γνωρίζωντας ὁ Ἀδὰμ τὸν Θεὸν καλώτατα (καθ'ὅσον εἰς τὸν καιρὸν ἐκεῖνον τοῦ ἦτον συγκεχωρημένον,

---

[1]) Μεσολωρας. Συμβολικη. p. 387—388. Правосл. Исповѣд. Каѳол. Цѳркви Вост. СПБ. 1858, ч. 1, в. 22, p. 19—20.

[2]) Russicus textus habet «cum plena perfectione» (съ полнымъ совершенствомъ).

[3]) Russicus textus habet: «omnis rectitudo et bonitas» (всякая правота и доброта).

καὶ καθ'ὅσον ἔπρεπε)[1]) μὲ τοῦτο ὁποῦ ἐγνώριζε τὸν Θεόν, ἐγνώριζεν ὅλα τὰ πράγματα μετ'ἐκεῖνον, καὶ τούτου ἔχομεν σημάδια ἀνάμεσα εἰς τὰ ἄλλα, ὁποῦ ἐφελθήκασιν εἰς τὸν Ἀδὰμ ὅλα τὰ ζῶα διὰ νὰ τοὺς δώσῃ ὄνομα καὶ τὰ ὠνόμασε καθ'ἕνα ἀπ'αὐτὰ τὸ ὁποῖον ἐγεννᾶτο ἀπὸ τὸ νὰ γνωρίζῃ τὴν φύσιν τους, ὄχι ἀπὸ ἄλλην μάθησιν, μόνον ἀπὸ τὸ νὰ μελετῇ καὶ νὰ λογαριάζῃ περὶ Θεοῦ, καὶ τὰς ἐκείνου χρηστότητας· περὶ δὲ τῆς θελήσεως, αὔτη πάντοτε ὑπετάσσετο εἰς τὸν λόγον, καλὰ καὶ πάντοτε νὰ ἦτον ἐλευθέρα, καὶ ἦτον ἐξουσία εἰς τὸν ἄνθρωπον νὰ ἁμάρτῃ, ἢ νὰ μὴν ἁμάρτῃ, καθὼς λέγεται εἰς τὴν Γραφήν (citatur Sirach. 15, 11—17). — Εἰς τοιαύτην λοιπὸν τῆς ἀθωότητος καὶ ἀναμαρτησίας κατάστασιν ἦτον ὁ ἄνθρωπος ὅμοιος τοῖς ἀγγέλοις· μὰ ὡς ἂν ἔσφαλε μὲ τὴν παράβασιν, παρευθὺς εἰς τὸν ἴδιον τόπον τοῦ παραδείσου, πέρνοντας τὴν κατάστασιν τῆς ἁμαρτίας, ἐγίνηκε θνητός· οὕτω γὰρ ἡ ἁγία Γραφὴ παραδίδωσι (Rom. 6, 23) λέγουσα· τὰ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος.

---

[1]) Verba, quae uncinis includuntur, Gass. Symbolik. Berlin. 1872, § 54, p. 156, videtur referre ad totam primi hominis perfectionem: Der Urmensch soll mit der ihm angeborenen natürlichen Unschuld eine intellectuelle und sittliche Vollkommenheit verbinden, aber auch diese nicht schlechtweg sondern soweit sie sich für diesen Ausgangspunkt des Lebens eignet (καθ' ὅσον εἰς τὸν καιρὸν ἐκεῖνον) wobei man an Melanchton's Worte errinert wird. Apol. I, 2, § 17: Iustitia originalis habitura erat — haec dona, notitiam Dei certiorem, timorem Dei, fiduciam Dei, aut certe rectitudinem et vim ista efficiendi». Sed illa verba quae uncinis in textu graeco continentur, ut patet ex contextu, non referuntur nisi ad scientiam, et quidem ad cognitionem Dei; in russico enim textu loco uncinorum post illa verba est semicolon. Ita ut verba Conf. Orthod. potius s. Thomam in mentem rovocent: 1, q. 94, a. 3: ubi inter cetera dicitur: «et de his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitae humanae secundum illum».

Καὶ τότε παρευθὺς ἔψασεν τὴν τελειότητα τοῦ λόγου καὶ τῆς γνώσεως[1]), καὶ θέλησις ἔκλινε περισσότερον εἰς τὸ κακόν, ἔστοντας καὶ νὰ δοκιμάσῃ τὸ κακόν, ἄλλαξεν εἰς κατάστασιν ἁμαρτίας· καὶ ὁ τέλειος ἄνθρωπος τόσον ἐταπεινώθηκεν, ὥστε νὰ λέγῃ μὲ τὸν Δαβίδ (B. 21, 7)· ἐγὼ δὲ εἰμὶ σκώληξ, καὶ οὐκ ἄνθρωπος» [2]).

῾Ο ἄνθρωπος ἀνακαινίζεται, καὶ ἀποκαθίσταται εἰς τὴν δικαίωσιν ἐκείνην, ὁποῦ εἶχεν ὅταν ἦτον ἀθῶος, καὶ ἀναμάρτητος» [3]).

Confessio vero Dosithei inter cetera haec dicit: «Πιστεύομεν τὸν ἄνθρωπον κατολισθήσαντα τῇ παραβάσει, παρασυμβληθῆναι, καὶ ὁμοιωθῆναι τοῖς κτήνεσι, τουτέστιν ἀμαυρωθῆναι καὶ τῆς τελειώτητος, καὶ ἀπαθείας ἐκπεσεῖν, οὐ μὴν καὶ τῆς ἧς ἔτυχε παρὰ τοῦ ἄκρως ἀγαθοῦ Θεοῦ φύσεως, καὶ ἐνεργείας ἐξεστηκέναι, οὕτω γὰρ οὐκ ἂν ἦν λογικός, καὶ ἑπομένως οὐδ᾽ἄνθρωπος, ἀλλ᾽ἔχειν μὴν φύσιν αὐτὴν, ᾗ ἔκτισται, καὶ τὴν τῆς φύσεως ἐνέργειαν, ἥτις ἐστὶ τὸ αὐτεξούσιον, ζῶσαν καὶ ἐνεργόν· ὥστε κατὰ φύσιν δύνασται αἱρεῖσθαι μὲν καὶ ἐργάζεσθαι τὸ καλὸν, φεύγειν δὲ καὶ μισάττεσθαι τὸ κακὸν, ἄτοπον γὰρ τὸ τὴν καλὴν παρὰ τοῦ ἄκρως ἀγαθοῦ δημιουργηθεῖσαν φύσιν, ἄμειρον ἀγαθῆς ἐνεργείας ὁμολογεῖν» [4]).

---

[1]) Ergo Confes. Orth. distinguit inter scientiam Adae et mentem; non sumit illam ad designandam solummodo vim huius, ut russi theologi.

[2]) Μεσολωρας. op. c. 386—389; Правос. Испов. op. c. ч. 1, воп. 23, p. 20—22.

[3]) Μεσολωρας. op. c. p. 425; Прав. Испов. op. c. ч. 1, воп. 103, p. 80 δικαίωσιν vertit «iustitiam» — праведность, et non «rectitudinem» — правоту; conf. Μεσολωρας. op. c. p. 425—426; 424, 440 etc.

[4]) Harduini. Acta Conciliorum Parisiis. 1715, t. XI, p. 245; Посланіе Патріарховъ Восточн. Каѳолич. Церкви о Православной,

Tandem etiam Cathechismus Philaretis ad quaestionem: «Qualis mors orta sit ex peccato Adae?» — respondet: «Duplex: corporalis, cum corpus orbatur anima, quae illud vivificabat, et spiritualis, cum anima orbatur gratia divina, quae vivificabat eam altiore spirituali vita» [1]).

3. Itaque primus homo iuxta libros symbolicos praeditus erat omni, plena perfectione. In mente eius continebatur omnis scientia: ille cognoscebat Deum modo perfectissimo, quantum ei datum erat atque opportuit; cognoscebat quoque omnes res rerumque naturam idque sine ulla instructione. Non modo innocens erat h. e. sine peccato et a concupiscentia immunis, sed etiam rectus et iustus. In eius voluntate continebatur omnis rectitudo ac bonitas: eius voluntas semper erat rationi subdita. Praeterea eius animam vivificabat gratia habitualis quae erat principium altioris spiritualis vitae. Ille igitur erat in paradiso similis angelis.

Вѣрѣ. чл. 14. Ergo natura bona, quam a bono Opifice primus homo acceperat, etiam post lapsum mansit una cum viribus naturalibus; homo perdidit tantummodo perfectionem (scilicet speciali beneficio additam) et impassibilitatem etc... quae enumerantur eadem Confess. Dosithei art. 6. Ergo est distinctio inter dona naturalia et praeternaturalia.

56. Катихизисъ ч. 1, о 3 чл. р. 29; «Какая смерть произошла отъ грѣха Адамова? Двоякая: тѣлесная, когда тѣло лишается души, которая оживляла его; и духовная, когда душа лишается благодати Божіей, которая оживляла ее высшею духовною жизнію». — Ergo etiam Cathechismus Philaretis admittere videtur aliquam gratiam habitualem quae erat principium altioris spiritualis vitae in primo homine; non vero solummodo actualem gratiam cooperantem, ut faciunt theologi.

4. Non est cur monstremus, quantum discrimen intercedat inter Confessiones orthodoxas et orthodoxos earum confessores theologos. Quantum distat illa, quam Silvester Adamo tribuit, perfectio non plena, in germine, in potentia tantummodo ab illa Confessionis Orth. omni perfectione, perfectione plena; illa mens Adami sagax quidem et ad discendum apta, sed quae nondum quidquam didicit, ab illa mente omni scientia divinorum humanorumque ornata; illa voluntas recta quidem natura sua et sine peccato, sed tum etiam sine virtute ulla ab illa voluntate omni rectitudine et bonitate ornata, ab illa iustitia Confessionis Orthodoxae; illa provida Dei cooperatio magis paedagogica et educatoria ab illa Cathechismi Philaretis gratia, animae vivificatrice, quae principium altioris spiritualis vitae est; ille Svietlovii primus homo infans, imperitus et simplex, curiosus et credulus, qui ne malum quidem a bono discernere potest, ab illo Confes. Orth. Adamo viro, qui super omnia exaltatus, paulo minor angelis factus, in paradiso versatur veluti alter angelus [1].

Ceterum neque ipsi russi diffitentur se iam amplius non sequi doctrinam librorum symbolicorum

[1] Primum hominem iuxta doctrinam orth. symbolicam non modo negative sedetiam positive perfectum fuisse testatur quoque Gass. Symbolik. op. c. § 54, p. 156, qui accusari non potest quod partium studio in hac re laboret. Is cum comparat doctrinam Jeremiae patriarch. Constant. cum doctrina Confess. Orth. Mogilae: «Von Jeremias, inquit, war annerkannt worden, die sittliche Aenlichkeit mit Gott habe der Mensch nur d y n a m i s c h, also dem Vermögen nach empfangen; hier (Confes. Orth.) dagegen wird ihm schon ein hoher Grad w i r k l i c h e r G e r e c h t i g k e i t beigelegt».

«Neque rectae sunt, inquit Philaretes Čern., Confes. Orth. expressiones; patres ecclesiae christanae non exhibebant primum hominem cum summa sapientia et sanctitate» [1].

5. Arguunt moderni russorum theologi catholicos novitatis, inventi dogmatis; continuo eis theoriam evolutionis dogmatum seu progressus in fide exprobrant; sed ipsi, cum latinum, quem putant, errorem fugiunt, a suae etiam Ecclesiae doctrina symbolica recedunt inciduntque in regressum a fide.

Spernunt enim theologos suos antiquiores tum XVIII saec. quippe qui partim catholicorum partim protestantium erroribus infecti sint, tum saec. XVII, quippe qui scholasticorum placitis latinisque erroribus penitus sint corrupti; atque declarant se demum purae suae Ecclesiae doctrinae et orthodoxae antiquitati stare [2]. Sed mox, ut modo vidimus, ab orthodoxa suorum librorum symbolicorum doctrina appellant ad ss. patres. Cum vero etiam ss. patres V et IV saec. ab vetere traditione recessisse inveniantur, recedendum esse dicunt ad patres antiquiores [3]. Dein ad horum doctrinam confirmandam recurrunt ad sacram Scripturam, quae criterium verae traditionis esse declaratur [4]. Sed cum etiam sacra Scriptura non parvas eorum systemati creat difficultates, tandem dicunt non tam ad verba quam ad ipsam Scripturae sacrae ideam generalem esse respiciendum, ut Scriptura

---

[1]) Филаретъ Черн. ор. с I, § 131, p. 200—201, adnot. 67; Серединскій, Таблица... Рига 1890, p. 129, примѣч. 8.

[2]) Vid. supra prooem. p. 5.

[3]) Vid. de perfectione. p. 121 sq.

[4]) Vid. prooem. p. 8, 122.

sacra non sit rationi impervia, sed ut a ratione commode accipi possit [1]).

Itaque russi moderni ab antiquis suis theologis regrediuntur ad libros symbolicos, ut mox ab his ad ss. patres appellent; deinde a ss. patribus V et IV saec. recedunt ad patres antiquiores, ut iterum ab his ad sacram Scripturam recurrant, a verbis vero sacrae Scripturae ad eius ideam; quae tandem moderanda relinquitur rationi.

---

[1]) Vid. p. supra 120—121.

INDEX OPERUM.

Августинъ, ректоръ Литовс. Сем. — Руководство къ Основному Богословію. Изд. 3, Москва 1894.

Антоній, архим. — Догматическое Богословіе. Изд. 8. СПБ. г. 1862.

Billuart. C. R. — Summa Summae s. Thomae. Parisiis. 1889—1890, v. 6.

Бречкевичъ Конст. свящ. — Записки по Православному Догматическому Богословію. Елисаветградъ 1895.

Бѣляевъ Александръ. — О Соединеніи Церквей. Разборъ Энциклики Папы Льва XIII отъ 20 іюня 1894 г. Сергіевъ Посадъ, 1897.

Δαμαλας, Νιχ. Μ. — Περι 'Αρχων. 'Εν Λειψια. 1865.

Denzinger. — Enchiridion Symbolorum et Definitonum. Ed. 9. Wirceburgi. 1900.

Елеонскій Ник. протоіер. — Краткія Записки по Основному Богословію. Москва 1895.

Епифановичъ Л. — Записки по Обличительному Богословію. Изд. 4. Новочеркасскъ 1897.

Ermoni V. — L'Eglise Romaine en face de l'Eglise Grecque Schismatique. Paris. 1896.

Gass. W. Dr. — Symbolik der griechischen Kirche. Berlin 1872.

Городковъ Алексѣй. — Догматическое Богословіе по сочиненіямъ Филарата, митроп. Московск. Казань, 1887.

Городцевъ Пав. — Очерки Христіан. Православн. Вѣроученія. СПБ. 1893.

Harduin. — Acta Conciliorum... t. XI. Parisiis. 1715.

Іоаннъ, еписк. Смоленск. — Богословскія Академическія Чтенія. С.-Петербургъ 1897.

Катихизисъ: — Пространный Христіанскій Катихизисъ, Православныя Каѳолическія Церкви. Москва 1899. Изд. 69.

Kirchenlexicon, Wetzer und Welte's. 2 Aufl. Freib. in Br. 1882, vol. 1.

Kleutgen Jos. S. J. — Die Theologie der Vorzeit, t. II, Münster. 1854.

Книга Правилъ св. Апостоловъ, св. Соборовъ Вселенск. и Помѣстныхъ и св. Отецъ. Москва 1893.

Лебедевъ Ал. пр. — Разности Церквей Восточной и Западной въ ученіи о Пресв. Дѣвѣ Маріи Богородицѣ по поводу латинскаго догмата о Непорочномъ Зачатіи. Варшава 1881.

Мазановъ П. протоіер. — Руководство къ изученію Православной Христіан. Вѣры. Изд. 6. Полтава 1898.

Макарій, митроп. Московск. — Православное Догматич. Богословіе. Изд. 5, СПБ. 1895. 2 vol.

Id. — — Введеніе въ Православное Богословіе. Изд. 6. СПБ. г. 1897.

Id. — — Руководство къ изученію Догматическ. Богословія. Москва 1898. (М. А. Л.)

Mazzella, Card. — De Deo Creante. Praelectiones Schostico-Dogmaticae. Romae, 1896.

Μεσολωρας, I. E. — Συμβολικη της Ορθοδοξου Ανατολικης Εκκλησιας. Τ. Α. Εν Αθηναις. 1883.

Никаноръ, архіеп. Херсон. и Одесск. — Бесѣда о томъ, есть ли что еретическое въ Латинской Церкви. СПБ. 1889.

Никитскій Серг. — Вѣра Правосл. Восточной, Греко-Россійской Церкви по ея Символическ. Книгамъ, vol. 2. Изд. 2. Москва, 1899—1900.

ΠΗΔΑΛΙΟΝ της νοητης νηος της μιας αγιας καθολικης και αποστολικης Των Ορθοδοξων Εκκλησιας ητοι απαντες οι ιεροι και θειοι Κανονες των αγιων και πανευφημων Αποστολων, των αγιων Οικουμ. και Τοπικων Συνοδων, και των κατα μερος θειων Πατερων... Εν Αθηναις 1896.

Перовъ Ив. — Руководство къ Обличительному Богословію. Изд. 4. Рязань 1897.

Пятницкій Ив. — Введеніе въ Правосл. Богословіе. Ставрополь, 1893.

Православное Исповѣданіе Каѳолич. и Апостольской Церкви Восточной. Изд. 16. СПБ. 1858.

Родниковъ Н. — Ученіе блаж. Августина о Взаимныхъ Отношеніяхъ между Государствомъ и Церковью. Казань 1897.

Рождественскій Н. П. — Христіанская Апологетика. Курсъ Основнаго Богословія. Изд. 2. СПБ. 1893, vol. 2.

Рудаковъ А. П. — Православн. Догмат. Богословіе. Изд. 2. СПБ. 1894.

Scheeben M. Jos. Dr. — Natur und Gnade. Mainz, 1861.

Schwane Jos. Dr. — Dogmengeschichte. Münster 1862 sq.

Свѣтловъ П. Я. — Опытъ Апологетич. Изложенія Православно-Христіанскаго Вѣроученія. Изд. 2. Кіевъ 1899 vol. 2.

Серединскій Т. протоіер. — Сводная Таблица христіанскихъ Вѣроисповѣданій и Сектъ, или Сравнительное Христіан. Вѣроученіе. Рига 1890.

Сильвестръ, епископъ. — Опытъ Православнаго Догматическаго Богословія (съ историческимъ изложеніемъ догматовъ). Изд. 2 et 3. Кіевъ 1892 etc. vol. 5.

Титовъ Георг. — Уроки по «Простран. Христ. Катихизису Правосл. Каѳ. Вост. Церкви». СПБ. 1889. Изд. 2; vol. 2.

Тихвинскій Н. — Чтенія по Правосл. Христ. Богословію. Ярославль 1894; vol. 2.

Тихомировъ Дм. Ал. — Курсъ Основн. Богословія. Изд. 2. СПБ. 1897.

Thomas Aquinas S. — Opera.

Tournebize Fr. S. J. — L'Eglise Grecque-Orthodoxe et l'Union. Paris, 1900, vol. 2.

Трусковскій И. — Руководство къ Обличительн. Богословію. Изд. 2. Могилевъ на Днѣпрѣ 1889.

Тузовъ И. Л. — Каталогъ Духовныхъ и Другихъ Книгъ. СПБ. 1899—1902.

Указатель русскихъ Книгъ и Брошюръ по Богословскимъ Наукамъ, вышедш. съ 1801 по 1888 г. Москва 1891.

Успенскій Ев. — Обличительное Богословіе. Изд. 2. СПБ. г. 1894.

Филаретъ, архіеп. Черниговск. — Православное Догматическое Богословіе. Изд. 3. СПБ. 1882, vol. 2.

Id. — Обзоръ русской Духовной Литературы. Книга 1 и 2-ая 1862—1863. Изд. 3. СПБ. 1884.

Царская и Патріаршія Грамоты о учрежденіи св. Синода съ Изложеніемъ Православнаго Исповѣданія Восточно-Каѳолической Церкви. Москва. 1848.

Ѳаворовъ Н. пр. — Чтенія о Догматическихъ Истинахъ Православно-Христ. Вѣры. Изд. 2. СПБ. 1890.

SUMMA RERUM.

PROOEMIUM.

DE STATU IUSTITIAE ORIGINALIS.

CAPUT I.

PROLEGOMENA.

CAPUT II.

HISTORIA LATINI QUEM RUSSI DICUNT ERRORIS.

Pag. 41—49.

CAPUT III.

RELATIO DEI CREATORIS AD PRIMUM HOMINEM.

Pag. 50—141.

ARTICULUS I.

DE IMAGINE ET SIMILITUDINE DEI IN HOMINE.

Pag. 52—68.

ARTICULUS II.

DE FINE PRIMI HOMINIS SEU DESTINATIONE.

Pag. 68—92.

ARTICULUS III.

APTITUDO PRIMI HOMINIS AD SUAM DESTINATIONEM ADIMPLENDAM SEU PERFECTIO.

Pag. 92—141.

CAPUT IV.

RELATIO DEI PROVIDENTIS AD PRIMUM HOMINEM

CAPUT V.

APPENDIX I.

DE STATU INNOCENTIAE ET STATU IUSTITIAE.

APPENDIX II.

PRAECIPUA RUSSORUM OBIECTIO.

APPENDIX III.

ORDO HOMINIS AD ULTIMUM FINEM.

Pag. 197—211.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 2 lin. 12 loco immutatile *lege* immutabile
» 11 » 9 » pisitivam » positivam
» 25 » 12 » adiutorum » adiutorium
» 62 » ab infra 6 loco τὸ γε *lege* τὸ δὲ
» 62 » » » 2 » τηγλαϊσμένον *lege* κατηγλαϊσμένον
» 63 » 1 post verbum τὴν *omitte* καὶ
» 63 » 8 loco οἰκονούμενον *lege* οἰκονομούμενον
» 64 » 16 *omitte verbum* κατορθοῦται
» 64 » ab infra 10 pro ὑπάργει *lege* ἐνυπάργει
» 64 » » » 7 loco ἐχρίσατο *lege* ἐχαρίσατο
» 64 » » » 2 *lege* γενόμεναι, εἰκῆ κείμεναι
» 64 » » » 1 pro ἔπεινον *lege* ἔπαινον
» 79 » 12 loco ἀγγαλλάσις *lege* ἀγαλλίασις
» 79 » 18 pro θέλεν *lege* θέλει
» 79 » ab infra 3 loco ἔστωτας *lege* ἔστωντας
» 119 » 1 adnot. loco ἔμφευσιν *lege* ἔμπνευσιν
» 153 » 6 » post verbum ὑγροῦ *adde* καὶ τὴν ἐναντίοτητα
» 182 » 1 » loco ταύτην *lege* τοιαύτην
» 182 » 5 » » ἔγεννε *lege* ἔγεινε
» 217 » ab infra 5 pro ἔπι *lege* ἔτι
» 220 » 1 loco ἔψασεν *lege* ἔχασε
» 220 » 3 post κακὸν *adde* παρὰ εἰς τὸ καλὸν, καὶ οὕτως ἡ κατάστασις τῆς ἀθωότητος καὶ ἀκακίας
» 225 lin. 5 loco Billuart *lege* Billuard